LEVINI APOLLONII, GANDOBRVGANI, MITTELBVRGENSIS,

de Peruuiæ, Regionis, inter Noui Orbis prouincias celeberrimæ, inuentione: & rebus in eadem gestis,

LIBRI V.

AD IACOBVM CLAROVTIVM MALDEGHEMMAE AC PITTEMIAE DOMINVM.

Breuis, exactaque Noui Orbis, & Peruuiæ regionis chorographia.



ANTVERPIAE,
Apud Ioannem Bellerum sub Aquila aurea.

M. D. LXVII.


14012

ILLVSTRISSIMO HEROI, IACOBO CLAROVTIO, MALDEGHEMmæ ac Pittemiæ Domino S. P. D.

INter omnia officiorum genera, quibus se mutuò prosequũtur mortales, nullum profectò, aut recta conferentiũ voluntate, aut diuturnitatis spe laudabilius est atque præstãtius, Heros illustrissime, quàm quod ab ijs confertur, qui in hoc potissimum studiorum genere summa contentione elaborant, vt immortali monumentorum testimonio, ab omni obliuione silentioq; succeſſuræ posteritatis eorũ memoriam vindicent, qui singulari virtutũ præstantia excellẽtes, de publica salute præclarissimè meruerunt. Postquam enim humanæ fiduciæ egregia ludificatrix natura, nobis exiguum vitæ curriculum circumscripsit, nullum me hercule maius nostræ mortalitatis solatium accidere potest, quàm si vtili consilio memoriæ æternitatem speremus: eos verò humanæ

propemodùm virtutis fastigium excessisse videmus, qui omnium suorum operum fines posteritatis opinione atque iudicio dirigentes, omni doctrina & scribendi peritia instructos suæ vitæ testes quæsiuerunt: qui morum, virtutis, constantiæ, pietatis atque ingenij ipsorum effigiem monumentis nunquam intermoriturís, apud omnem sequuturi temporis memoriam essent relicturi. Hac de causſa, quum vel ab ineunte ætate incredibili historiarum delectatione & voluptate detinerer, nullamque & ad alienæ & ad priuatæ laudis fructum parandum commodiorem viam esse perspicerem, quàm si in describendis virorum principum rebus gestis omnem operam studiumque consumerem, multorum exemplo, & meæ etiam occupationis ac voluptatis gratia, me penitus ad scribendæ historiæ studia auocaui: ne forte per socordiam atque desidiam id omne succisiui temporis spacium, sine fructu aliquo parùm honestè efflueret, quod ipsa quotidianarum rerum occupationumque mearum interualla, mihi ad peculiare

ocium

ocium reliquerunt. Quapropter in tanta scriptorum copia, cùm potissimum iudicarem, nouæ alicuius rei, & parum adhuc nostris exploratæ materiam ad scribendum adferre, ea auidissimè perscrutari ac literis mandare cœpi, quæ ad Noui Orbis (quem Americam vocant) nostra demum memoria inuenti & occupati cognitionem pertinerent. Nam haud dubiè supra omnium rerum gestarum amplitudinem, quæ in nostra tempora incidêre, maximè memorabile videri potest, longè amplissimam Orbis partem, tot antè seculis incognitam, & incredibili rerum omnium copia & beatitudine affluentem, iam tandem Caroli Quinti Cæsaris classibus atque auspicijs innotuisse, & grauissimis laboribus, periculis, atque ærumnis extremorum malorum, ab ornatissimis Hispanici nominis Ducibus Prætoribusque occupatam esse: sic vt æstimata diligenter rerum omnium ratione, ea, quæ hic gesta patrataque fuerunt, profectò humanæ admirationis modum excedant, & procul dubio Alexandri Macedonis, ac superiorum denique

nique omnium principum, regum, virorumque virtutem atque fortunam longissimè superent. Atqui adeò magis ego in summam admirationem adducor, quòd in tanta doctissimorum virorum multitudine, qui summa eruditione facundiaque, indigna interdum nugarum certamina consectari maluêrunt, tam pauci fuêre, qui in harum etiam rerum fœcundissima materie ingenij sui ornamenta exercere studuerint. Nam præter Petrum Martyrem, qui initia huius exploratæ Americæ in suis Decadibus contexuit, ac Sebastianũ Munsterũ, qui in cosmographicis Tabulis harum regionum summas persequutus est, & diuersorum mercatorum epistolas, ipsiusq; Ferdinandi Cortesij literas ad Carolum Cæsarem perscriptas in vnum volumen redegit, neminem Latinorum inuenio, qui præter exiguam mentionem in hac parte aliquid grauioris operæ collocauit. Itaque satis præclarũ mei studij fructum me adepturum ratus, si ipse hoc negocio maiore cura diligentiaque suscepto multorum expectationi satisfacerem, quos huius generis aliquid

quid

quid iamdudum expectasse cognoui, quanquam longè præstantius flumen ingenij, maioremque dicendi vim & copiam huius negocij magnitudo requirat, eam potissimè partem explicare sum adortus, quam maximè Latinorum Scriptorum monumenta ignorabant. Nam sicuti ex Petro Martyre, & eo Munsteri volumine aliqua de prima exploratione atque introitu Americæ regionis cognitio suppeditatur, ita nusquam aliquod exactæ narrationis opus legisse me memini, qua videlicet ratione, quibusque Ducibus, quo discrimine atque euentu rerum, Peruuia occidentalis Noui Orbis pars, omnium certè Prouinciarum auro atque argento opulentissima inuenta sit & occupata, ac quibus deinde initijs irarumque caussis ea ipsa ciuili implicata bello mutuis Hispanorum stragibus permaduerit. Proinde cum in his etiam Belgarum terris, multi in ea regione mutua societate opulentas negociationes exerceant, ac multa propè supra fidem humanam occurrant, de quibus certissimè constet, amicorum

commentarijs adhibitis, ipse lubentissimè id de Peruuia opus suscepi: ea ratione ac modo, vt ad summorum Scriptorum exemplum, mediocri orationis vbertate, rhetoricæ amplitudini & elegantiæ, vbique nimirum inuiolata historiæ fide, locus relinqueretur. Quanquam enim mihi iam huius incerti ausus aleam iacturo, alta consideratione metus occurreret, ne in hoc etiamnum meæ iuuentutis tyrocinio, ego nulla videlicet elaborati ingenij atque ætatis authoritate spectatus, in præiudicia quorundam calumniasque incurram, minimè tamen vel ob id ab instituto consilio abstinendum putaui, quòd mihi optima conscientia bonæ mentis freto, non illaudabile futurum existimarem, huiusmodi probatissimæ rationis successu, apud optimos viros honestæ commendationis principia aucupari. Sed inter cæteros, apud quos huius diligentiæ non inanem gratiam mihi sperare licebat, Heros illustrissime, iam inde ab institutæ cogitationis meæ principio, te ego maximè vnum iudicaui, cuius

Huma-

Humanitati has mei laboris primitias dedicarem. Omni enim literarum genere ornatißimè excultus (quod paucis ſplendidißimi ordinis tui Nobilibus accidere ſolet) maximè veram opuſculi noſtri voluptatem ab ipſa linguæ Latinæ cognitione percipere poſſe videris, & in cæteris rebus Nobilitatis tuæ grauitatem ſplendoremque illuſtriſſimum ea humanitate condiſſe prædicaris (ſicuti id ipſum in hilari vultu tuo clariſſimè eluceſcit) vt tibi profectò maximè ſolidas ad publicum amorem gratiamque retinendam virtutes, naturam accumulaſſe appareat. Nam quantum inferiores quique tuæ imprimis Humanitatis perfugium & receptaculum petunt, tantum tu ipſe principes illos Auguſti Ordinis ac velleris aurei heroes, incredibili charitate tenes deuinctos, ſic vt intima familiaritate ac neceſſitudine illuſtriſsimum Egmondæ Comitem Amurathem, cuius certè opera in præſentia viuimus, tibi maximè coniunctum videamus. Atqui etiam publici beneficij cauſſa me tantum Humanitati tuæ debere exiſtimaui, vt

si quid ex nostro labore splendoris nominisque cuiquam possit adiungi, id maxima contentione ad tuarum laudum magnitudinem illustrandam mihi conferendum putarem. Equidem enim in earum virtutum memoriam sæpenumerò redeo, quibus diuersis in rebus luculenter exhibitis, nostræ Brugensis maximè ciuitatis Rempub. tuo nomini penitus obligasti. Ex hac autem virtutum tuarum imagine quanquam mihi certissima spes offerretur, te nostri laboris studium æqui bonique facturum, tamen ego & meæ verecundiæ rationibus, & tuo splendori tantum tribuendum censebam, vt quodammodò ab inuerecundæ huius fiduciæ consilio deterrerer. Sed postquam id ipsum M. Ioannis Dammij, literatissimi & grauissimi viri iudicio comprobari perspexi, cui omnibus animi ornamentis decorato, propè domestica familiaritas tecum intercedit, omnem conceptæ formidinis cunctationem abieci, certissimeque inde considere cœpi, cum pro tuæ humanitatis cãdore, tum pro eius spectatissimi viri authoritate, nostrum laborem in honestissimo studij gene

re con-

re constitutum, & ad tuæ Nobilitatis ornamentum (vt ingenuè fatear) profectò directũ, tibi vnico literarũ amatori haud ingratè accidere posse, eoq; iustius atque benignius, quod & tibi omniũ lectionum apprimè studioso, non exiguam voluptatem ipsa nouitatis gratia, & memorabilis Topographiæ, aliarumque id genus rerum copia (vti arbitror) apportabit, & perspicuum humanæ varietatis documentum vtili exemplo legenti proponet. Nam sicuti tribus libris prioribus demonstratur, Franciscus Pizarrus ac Didacus Almagrus, postquam mutuæ amicitiæ atque ope Peruuia explorata atque deuicta ad id incomparabilis fortunæ fastigium peruenissent, demum mutui imperij potentiæque impatientes dissidio & simultate excitata, in tristissimum miserabilis excidij casum incidêre, deinde verò Consaluus Pizarrus Francisci frater, ac Franciscus Caruaial (sicut duobus libris posterioribus edocetur) prouinciam occupare, & per vim tyrannidemque inuito Cæsare obtinere moliuntes, quum Velæ Blasco Prorege deuicto, atque

que interfecto, firmißima crudelis imperij ac dominatus fundamenta se consequutos existimarent, repentè à Præside Gasca victi captique, fœdissimum ignominiosi supplicij exitum habuerunt. Idcircò me hercule beatiùs aliquantò cum Rebuspub. atque cum ipsis Principibus ageretur, si se in omnis posteritatis theatro constitutos meminissent, in quo nihil vel rectè vel improbè factum celari possit. Itaque illustrissime Heros, pro tui ingenij humanitate hoc nostri laboris munusculum ea animi benevolentia fauoreque accipies, quo multò minoris certè precij decorisque munera à popularibus tuis interdum ad ingenuum sui obsequij & charitatis testimonium exhibendum, in te collata accipere consueuisti: quod si hac ratione intelligimus atque videmus apud grauissimos viros, & tui imprimis ingenij candorem, non illiberalis iudicij gratiam nostros huius generis labores ac studia promereri, qui multò his excelsiora in præsentia agitamus, magnoperè in huiusmodi industriæ cursu confirmabimur: omnem haud dubiè in

hoc

hoc operam posituri, vt ex ea ostentatæ humanitatis & læti affectus imagine, non inanis nostræ contentionis & industriæ fructus, ad excellētissimæ Nobilitatis tuæ ornamentum accedat. Vale Brugis Flandrorum, 1566. postridie Id. Octob.

Ornatissimæ Nobilitati tuæ deditissimus,

Leuinus Gandobruganus.

CVM PROPTER HISPANICAE LINGVAE DVRITIEM, OPVS FVERIT nonnulla oppidorum nomina paulò longius à vulgari appellatione ad Latinam mollitiem detorquere, percommodum ad historiæ intelligentiã Lectori futurum putauimus, vt oppidorum ac regionum nomina in primam statim Libri frontem referrentur, quo eadem historiæ & cosmographiæ studiosi in tabulis chorographicis facilè deprehendant.

Regiones.

Noua Hispania,	*Nueua España*
Vatimalia	*Guatimala*
Isthmus	*Andalosia*
Nicaragna	*Nicaragua*
Terra firma	*Tierra firme, cuius pars Castilla de oro*
Peruuia	*Peru.*

Vr-

Themistithana	*Themistithan, hodie Mexico.*
Theonyma	*Nõbre de Dios, hoc est nomen Dei.*
Panamais	*Panamà*
Portus Vetus	*Puerto viejo.*
Tumbæum	*Tumbez.*
Michaëlia	*Sã Miguel à D. Mi- Michaële dicta.*
Trugillum	*Trugillo.*
Regium	*Ciudad de los Reyes, hoc est, ciuitas Regum.*
Arecupia	*Arequipa.*
Quito	*Quito.*
Cassamalca	*Caxamalca.*
Vanuco	*Guanuco, vel San Iuã de la victoria.*
Vamantiacum	*Guamanga.*
Cusco	*Cusco.*
Argyropolis	*Villa de Plata, hoc est, vrbs argentea.*
Xaquixaguana	*Saquissauana.*

Argumentum Libri Primi.

Paucis exponitur Noui Orbis, inuentio, deinde descripto Isthmo ad historiam Author procedit. Franciscus Pizarrus ac Didacus Almagrus Peruuiam explorant atq; inueniunt, deinde Pizarrus in Hispaniam traijcit, & Prouinciæ Præturam à Cæsare impetrat. deinde reuersus instructo nauigio in Peruuiã traijcit, & ad Coaccios peruenit, vbi relicto Pizarro, regionis situs, hominum mores, multaque ad eam rem pertinentia exponũtur, postremò breuiter statũ Prouincię Author explicat, qui eo tempore erat, quo in Peruuiam Pizarrus traiecit.

LEVINI APOLLONII GANDOBRVGANI MITTELBVRGENSIS DE REbus in Peruuia gestis.

LIBER PRIMVS.

POstquam Lusitani immensissima nauigatione Æquatorem & Capricorni tropicum prætermensi Atlanticum Oceanum, ac tot insulas tantis aromatum thesauris beatas aperuissent, magna ingeniorum æmulatione excitata, multi eluxêre, qui admirabili Oceani explorandi ausu parem nominis splendorem, diuitiarumq; amplitudinem vel maximo vitæ periculo quæsitarunt. Inter hos Christophorus Columbus, natione Genuensis, Ferdinandi Hispaniarũ regis auspicijs incredibili nauigatione suscepta ad fortunatas insulas prouectus, atque inde vastissimè in Occidentem vela dirigens post longissimam triginta dierum nauigationem ad eas tandem insulas perueuit, quas ipse Hispaniolam atque Dominicam

Christophorus primus noui orbis inuentor.

Leg. Hispaniolam.

Blascus Nonnius interfectus.

minicam nominauit. Succeſſere dehinc alij atque alij, qui interiore nauigatione ſenſim plures inſulas ſcrutabundi inuenerunt. Poſthæc paulatim diuerſorum inuentione regio omnis innotuit, fuitq; ex inſulis vicinis in Iſthmum facilè conſcenſum, cuius rei laus, fortè prima Blaſco Nonnio deberetur, ni affectati regni conuictus atque damnatus, infœlicem atque infamem vitæ exitum habuiſſet. Is enim Prouinciam, quæ Iſthmo à dextris proxima eſt iuxta Darienem amnem detexit, ſed interfectus Petro Arriæ occupandã reliquit. Non multos poſt annos ex Iucathana inſula in Continentem tranſgreſſus Ferdinandus Corteſius, Mexicanam terram aperuit, domitaq; magno bello vrbe Themiſtithana (quæ Venetiarum inſtar magno lacu vndique continetur) quicquid inter duo maria interiacet, Carolo Cæſari eius nominis quinto ſubegit, & vniuerſam eam terram Nouam Hiſpaniam appellauit. Verum ſupra hos omnes Ferdinandus Magellanus, dũ in Luſitanorum contumeliã ſtupeſcenda nauigatione Moluccas inſulas peteret, id vniuerſum littus præterlegit, quod ab Iſthmo

Ferdinandus Comexicanæ Prouinciæ inuentor.

flexu

flexu arcuoso sensim in Promontorium tandem retortum, hanc Noui Orbis portionem terminat ad eius freti angustias, quod ab illo nunc Magellanicum nomen gerit. Verũ vti copiosè ab alijs narrata hæc sunt, ita nostri nunc est instituti, omissis his ea modo recẽsere quæ ad Peruuiæ primam explorationem, ac res in ea partim aduersus Barbaros, partim intestinis bellis gestas pertineant. Tota igitur orbis huius pars, quæ nostra iam demum memoria Hispanorum nauigatione innotuit, ab Septentrione ad Meridiem descendẽs, tenui Isthmo secernitur, qui hinc ab Occidente inde ab Oriente mari profundè illato, id omne quod ad Austrum vergit plagæ Septentrionali coniungit. Hæc Terram floridam Mexicanamq; Prouinciam continet. At quicquid secundum Isthmum in Meridiem protenditur, Africæ & ingenti Pyramidi est persimile, cuius basim ea terra efficit, quæ sub Isthmo ab occidentali ad orientale pelagus perpetuo tractu porrigitur. Terra firma ab Hispanis vocitata. Latera autem latè velut in alas aliquãdiu expansa vtrimque hinc per immensa Pariæ Brasiliæq; ter-

ræ, inde per recentis Peruuiæ littora excedentia illatus vtrimque Oceanus terrarum cuneo sensim extenuato ita castigat, vt pedetentim coëuntia in oblongum tandem Promontorium ad Magellanicum fretum desinant. Illud fronte in Antarcticum polum vltra Æquatorem & tropicũ Capricorni conuersum concurrentia maria suo procursu disterminare dirimereq; frustrà committitur, quum rapido impetu illatus ab Oriente Oceanus tanta vndarum vi ac mole per arctas fauces irrumpat, vt lenes Meridionalis pelagi fluctus ab Septentrione descendentes reuerberet atque recutiat. Porro Isthmus (quo duæ hæ partes Noui Orbis tenui quidem sed firmißimo vinculo constringuntur) Oceani vtriusq; vasto incursu conflatus & aduersus irrumpentia maria rupium montiumque munitione se probè defendẽs ad appellentium opportunitatem, ad vtriusque pelagi littora singulas vrbes habet, quæ vel è Peruuia redeuntes, vel ex Hispanijs aduectos fido portuum hospicio excipiunt. Sunt hæ Theonyma diuini nominis appellationem gerens, ac Panamais hæc Peruuino mari, illa Occiden-

Theonyma ac Panamais præcipuæ Isthmi vrbes.

tali

tali aduectos recipiens. Ad has vtrimque per Eagrum amnem, vel secundum vel aduersum iter patet, qui ad Crucem (loco id nomen est) nauigatur, deinde pedestri itinere Panamaidem peruenitur, ab hac Theonymam tendentibus pedibus ad Crucem itur, dein ad vrbem vsque fluuio, ac per huius ostium mari nauigatur. Ille autem ab montibus his oppidis interiectis prosiliēs primū ad Peruuinum mare cursum intendere videtur, verum per anfractuosas montium ambages reflectens in Occidentale pelagus incidit quatuordecim passuum milia flexuoso cursu conficiens, ita vt ad nauigationem in vtrunq; pelagus faciundam vix quatuor aut quinq; leucarum spacium perfodere opus esset, verū tanta aspe ritate inhorrescit locus, vt facilè credi possit non minore contumacia ligonū impetus vulneraq; laturum, quam Peloponnesiacum illū Isthmum pertulisse constat. Erat tum Panamais non classium modo appulsu clara, sed magno hominum confluxu exculta, quum isthinc vicinæ omnis Prouinciæ litigantes summam iurisdictionis authoritatem petere cogerentur, & viatores, hic residente cœtu,

qui argentariam faciunt, pecuniam deponere, vel alibi depositam à prædibus referre consueuerent. Hic inter cæteros tres Hispani agebant, Franciscus Pizarrus, Didacus Almagrus, ac Ferdinandus Lucius, qui fortunis inter se communicatis ex negociatione fœlici tantos rerum successus habuerunt, vt reliquos opulentia atque facultatum copia lõgè anteirent. His postquam maioribus animis & spe excitatis fortuna aspirans maiora captandi appetendiq; libidinem addidisset (vti præsentibus natura humana nunquam contenta est) in id porro intenti erant, vt nouo aliquo & memorabili facinore non se modo ad summam dignitatem impræsentiarũ proueherent, sed nomen in posterum etiam velut immortali laboris insumpti fructu, ad æternam perpetuamq; memoriã extenderẽt. Hac re inter se clam non raro agitata id imprimis ad memorabile facinus operæprecio dignũ videbatur, si aliqua perlustratione eam regionem attentarent, quæ proximè Æquatorem Occidentali littorum tractui subiecta esset, quum Blasci Nonnij labor vicinarum aliquot regionum iã nomina detexisset, quas carbun-

Francisci Pizarri at Didaci Almagri amicitia & societas.

carbunculis, margaritis, auro atque argento longè beatissimas esse fama vulgarat. Itaq; Pizarrus qui ingenio alacrior, & ardente ad res magnas natura audacior erat, rem qualicunque fortuna atque euentu tentandam ratus, cùm veniam à Petro Arria Terræfirmæ Prætore impetrasset, myoparone ad rem diligenter instructa, vicesimo quinto anno supra millesimum quingentesimum, post satis diuturnam littoris ignoti explorationem ad Peruuinam gentem appulit. Distat ea nõ amplius quinquaginta passuum millibus Panamaide, eratq; tum planè gens obscura, inculta, & inops, verum, quod Pizarrum primum exceperit, suam appellationem in vniuersam regionẽ diffudit, quæ vltra mille ducentas leucas perpetuo littore ad Antarcticum polum extenditur. Ab Peruuino littore ad Ambustorum gentem venit, sed cùm ea parte Barbari infestis telis passim occurrerent, non paucis amissis, & ipse in prælio vulneratus cursum retrahere, & in Eingamum portum deflectere Isthmo proximũ compulsus est. Didacus interea Almagrus, cùm iam satis benigni de Pizarro rumores iam-

Pizarrus ad explorandum se accingit.

Peruuia vnde dicta.

Didaci Almagri expeditio.

dudum affluxiſtent, ad quærendum illum, quia vbi locorum degeret, nondum perceperat, adornato nauigio, impoſitiſq; ſeptuaginta Hiſpanis viris fortiſſimis, ſimilem nauigationem aggreſſus eſt, prouectusq; ad D. Ioannis amnem, qui Panamaide abeſt millibus paſſuum amplius cẽtum, cùm Pizarrum inuenire non poſſet, tamen inſtitutum curſum tenens circa littora aliquandiu luſtrabundus errrauit, quoad tandem certius didiciſſet ad Arubuſtos penetraſſe Pizarrũ, attamẽ damni accepti ignarus. Proinde cùm huc vela flexiſſet, non hercule meliorem Pizarro fortunæ caſum tulit: nam Barbari quadam nocte remiſſiores fortè vigilias derepente venenatis ſagittis, & reliquis armis adorti, eam intulêre externationem ſtragemq;, vt magna Hiſpanorum parte cæſa Didacus, amiſſo ferè lethali ictu oculo, cum paucis in nauem refugiendi vix ſpacium haberet. Eius tamen damni ægritudinem conſolatio eſt conſequuta, quod quum ipſe inimico littore diſcedens in Eingamum portum veniſſet, Pizarrum inueniret. Tum quidem gratulatione inter ſe facta, ac communicatis conſilijs, vbi ea in vrbe

Didacus ab Ambuſtis oculo amiſſo in fugam actus.

vrbe nauibus reficiendis, & supplemento virorum curando aliquandiu moram traxissent, his probe curatis eidem se nauigationi littus legentes dedêre, in qua nihilo minoribus tam laboribus, quam periculis sunt defuncti. Littora enim ingentium fluminum, quæ à præcelsis rupibus præcipitantia magnis ostijs in pelagus exonerantur, agmine vndarum obruta ac constrata sunt, & cæcas ob id occultorum vadorum syrtes ad nauigiorum perniciem egerunt atque protrudũt: ipsa adhæc fluminum ostia hydrarum plena conspiciuntur, quæ magna frequentia exitus obsidentes obseruantesq; quodcunque in aquis sentiunt, confestim abreptũ ad ima abstrahunt dilaniandum. Verum nulla oratione exprimere possim, ad quantas ex rerũ inopia angustias deuenerint, quum ab longinqua ac diuturna profectione ad supremã penuriam redactis ipsa per se regio inculta neglectaq; nihil ad alimoniam suppleret, præter vnos littoralium retarum, quas Manglas vocant, fructus eosq; ipsos insuaues & insipidos vtpote ingrato æquoreæ muriæ succo infectos. Quamcunque ad partem appellerent,

Didacus et Pizarrus comunicati nauigationem expediunt.

Littora Peruuiæ vndis contecta

Manglæ fructus arborum.

& anchoras iacerent, ab infestis Barbaris arcebantur, qui non modo omnibus in locis venenatis telis aderant, sed nauigantes refugientes á probrosis clamoribus consectabantur, quod exules, & ab omnibus velut sentina nebulonum expulsi, ceu errones ac piratæ extorres ad infestãdam regionem veniissent. Itaque tot circumuenti difficultatibus, cùm etiam ex ducentis vix octuoginta incolumes supereſſent Hiſpani, ſtatuunt inter ſe vt Didacus ad milites aliquot conſcribendos Panamaidem reuerteretur: atque interea Pizarrus ad Gallam inſulam tempus inter ſummas anguſtias conſumpſit. Didacus autem Panamaidem reuerſus dum curatis rebus ad Pizarrũ redire cogitaret, à Petro Rio Iſthmi Prætore præter expectationem retentus eſt, quod ij, qui cum Pizarro in Galla inſula agebant, periculoſæ & inutilis nauigationis pertæſi per literas Rium clam rogaſſent, ne plures in profectionem omni periculorum generi obnoxiam abducẽdi facultatem amplius permitteret, & ſibi abeundi commeatum daret. Hac de cauſſa prærepta redeũdi poteſtas Didaco fuit, & reliqui impetrato per literas à Præ-

Almagrus Panamainem reuerſus detinetur.

à Prætore commeatu desciscentes Pizarrum deseruerunt, ita vt tantum ex octuaginta vix duodecim multis precibus deliniti retentiq; permanerent, inter quos facilè principes erant Nicolaus Riuerius, Petrus Cretensis, Ioannes Torræus, Alphonsus Briseuius, Christophorus Peralta, Alphonsus Trugillanus, Franciscus Eullarinus, & Alphonsus Molinæus. Hos Pizarrus blanda oratione cohortatus, vt paululum sustinerent, memimissentq; ad magnã laudem, opesq; ingentes parandas contendentibus per omnes asperitatum difficultates fortissimè enitendum, & ea demum accidere dulcissima pulcherrimaque quæ magnis laborum ac periculorum angustijs acquisita essent, mirum dictu est quanto vnà cum suis animo patientiaque & præsentis inopiæ miserias, & alia aduersa omnia tolerarit. At paucitatis suæ metu in frequente insula non ausus diu morari ad Gorgonam vela flexit, quo demum cum Panamaide nauis à Didaco missa peruenit commeatu onusta, quanquam nullum militem aut vix vnum atque alterum adueheret, relicta hac insula, nauiculatore Bartholo-

Pizarrus ab suis deseritur.

Bartholomæo Ruitio perpetuis iactatus vẽ torum, aduersíque maris incredibili æstu (vt dictum est) ad Septentrionem præcipitantis tempestatibus id tandem littus tenuit, quod inter conditas postea vrbes Michaeliam atque Trugillum interest. Huc appulsus cum præ paucitate longius progredi non auderet, depascentem ad Chiram amnem ouium gregem cum Barbaris aliquot opilionibus cœpit, atque inde fugienti similis digressus, Tumbæum peruenit. De ea vrbe ita cognouit, celebrem quondam fuisse, habuisseque regiam Peruuinorum regum ornatissimam, sed demum Punensium Insulanorum irruptione propè euersam, florem pristinum amisisse. Vbi hic Pizarrus nonnullos dies transegisset, velis iterum vento datis tandem Panamaidem cum omnium admiratione rediit à trien nio, ex quo nauigationem primam instituerat, qua quidem profectione non tam admirandus mihi videtur, quam ea rerum omnium patientia, qua non sæuientium modo tempestatum procellas, ac infestum maris æstum vicit, sed ipsam fortunam, & naturam humanã superauit. Nã quæ in extremo propè

Tumbæum vrbs.

Pizarrus Panamaidem redit, inde in Hispaniã tendit, et Prouinciæ Præturam ab Cæsare obtinet.

pè mundi termino in fluctibus magis quam continente versanti nunc premente inopia, nunc per hanc socijs ad desperationem tumultumque incitatis, in tam longinquo, vasto, emortuoque itinere patiunda fuerint, iudicio omniũ & coniecturæ magis patet, quam vt iuxta magnitudinem dici possit. At Pizarrus quum per tot difficultates nauiter emersus esset, vt verum aliquando eius fortitudinis ac laboris fructum acciperet, quum conatum suum à Prætore impediri tardarique videret, per Oceanum in Hispaniam ad Cæsarem proficiscitur, cui exposita nauigationis suæ fortuna, persuasit, vt sibi eius regionis Peruuinæ infestandæ occupandæque ipsius auspicijs facultatẽ permitteret. Quod cùm facilè à Cæsare in magnæ rei spem arrecto obmutuisset, factis inter se ex more pactorum tabulis Panamaidem reuertitur. Cogerat in Hispania classiculam aliquam, & viros fortes, interim cæteros fratres adduxerat quatuor, patre natos Consaluo Pizarro Trugillano, qui aliquando in Nauarrico bello ordinem duxerat Longi nomine vulgo notior. Ex his germani erant Ferdinãdus atq; Ioannes,

Pizarri fratres.

Ioānes, ſemigermanus Frācīſcus Martinus: ipſe Frācīſcus Pizarrus atq; Cōſaluus diuerſa matre orti naturales erāt: Verū hi oēs ad mutuā ingeniorū magnis anhelantium, & in aduerſis conſtantiū ſimilitudinē acceſſerant. His comitatus Pizarrus cū Panamaidē rediſſet, in ſummā Didaci Almagri offenſionem venit: nam is indignabatur quòd Pizarrus pro ſuo emolumēto cōmodóq; amici, et præſtitæ opis ac familiaritatis etiam immemor omnia trāſegiſſet: & quanquā ille promiſſa aliqua imperij portione hominē pacare contēderet, ſatis tamē cōſtat hinc omnē fatalis diſſidij ſcrupulū erepſiſſe, qui demū vtrūque in exitiū traxit. Cōpoſita tamē ad tēpus contentione per Ferdinandū Pontiū inſtructa eſt liburnica, qua primum ſacro audito Superis propitiatis cū fratribus in altum prouectus eſt, curſumque ſed aliquanto, quā oportebat, tardius ad Peruuiū littus tenēs manipulos ſuos expoſuit, itineréq; ſecundū orā capto ad Coaccios peruenit. Hi magnū exercendæ negotiationis vſum habent, terrāque occupāt omni alimonia lætā, & magno ſmaragdorū numero abundantē, cuius opulētiæ Pi-

Almagrus cur Pizarro ſuccenſeat.

Pizarrus in Peruuiam traijcit Coaccij populi.

zar-

zarrus vt fidem faceret, & ea spe plures elicer et, celoces duas Panamaidẽ cũ triginta aureorum nummûm millibus remisit, quæ apud eam gentem conflarat. Inde sensim populari incipiens ad Veterem Portum venit, vbi gaudium auxit opportunus Benalcazaris & Iohannis Florentij aduentus, qui duobus nauigijs aliquot equites peditesque aduexerant. Sed cũ rerũ gestarũ historia nõ satis dilucidè intelligi possit, nisi & loca, & prima rerũ initia probè cognoscãtur, monet nos tẽpus vt ante quã cũ Pizarro progredimur, & de Peruuiæ situ, & de rerũ eius statu, qui in nostrorũ aduentũ incidit, prius dicamus. Secundũ æquatoris lineã ab Paria, Brasiliaque latissimo nomine ac regione prouincia Peruuina patescit per immẽsa locorum spacia, populis regnis, ac hominum lingua, colore, moribusq; et ipsius natura situs discreta. Primum enim quum in littus ad Meridiem atq; Occidentem vergit, plana ac æquior est, & littoris sibi perpetuo congruentis nusquam degenerem naturam sequitur, quum vero in interiora longius ab pelago retractum abscedit, in altos excrescit montes, qui expansis latissi-

Peruuiæ descriptio.

Peruuiæ maritima & æqua, montana aspera.

latißimè cornibus magnam terræ partẽ complexi, perpetuis iugis, nuſquã intermiſſo curſu in Magellanicum fretum feruntur, & extenuatis pelago littoribus, extremum promontorium roſtri inſtar extrudunt. Terra quæ littorali tractu directa ſublimibus montium imminẽtium verticibus ſubijcitur, ſuffocantis ſabuli oppreſſu, & horrida frequentißimarum ſolitudinum vaſtitate informis atq; effæta eſt, vixque indigenis ſuſtinendis par, quum præter agrorum incredibilem ſterilitatem iuſto fontium lacuumque, præter paucos inſuaues & marino influxu enterpolatos, ſubſidio ſit deſtituta, & incolas frequentißimè in magnas rei potatoriæ anguſtias inops, perpetuoque æſtu peruſta perducat. His enim per ſe incommoditatibus afflicta nulla etiam pluuiarum imbriumue adiumenta ſuccurrunt, quæ, ſemper durante vnius æſtiuæ tempeſtatis tenore, penitus (quod dictu eſt mirum) ignorat. Verum terræ hac tanta infœlicitate mulctatæ natura nunquam humanæ neceſſitati deeſſe ſolens ad non mediocrẽ incolarum leuamen haud omnino interdum lætiores valles ad agros ſerendos, amneſ-

Peruuiæ maritimæ ſterilitas.

Peruuia maritimæ pluuias, aut tonitrua fulminaq; non ſentit.

amnesq; limpidos ad potum petendum denegauit. Hi à præcelsis mõtium, rupibus delapsi tanta vi feruntur, vt vel multis validorum contorum perticarumq; statuminibus fracto cursu debilitati, omnẽ virorum equorumque transitum respuant. Eidem hyemalibus ferè temporibus mira altitudine luxuriantes agros circumiectos ad frugum refocillationem vtili perfusu atque inundatione irrigant. Quapropter indigenæ vt reliquæ sterilitatis detrimentum farciant, magna industria vicinos amnium ripis agros exercẽt, qui perpetuis singulorum annorum satiuis restibiles conserentium tanta facilitate sata excipiunt, vt Hispanis etiã postea triticum siliginemque ac omne frumenti genus serentibus sine multo arãdi occandique labore reddiderint. Videre idcirco licet non modo circumiectas fluminibus vicinias passim cultis veruactis ridentes, sed ipsas amniũ ripas arbustis delectabiles, & amœnos nec insalubres vmbratilem voluptatem captantibus secessus præbentes: deinde, quum salictis, atq; arundinetis amnes riuique multis in locis pleni sint, ex lanuginosis iuncorum arũdinum-

Peruuiæ maritimæ flumina, & eorum rapiditas.

que pappis nonnihil lanificio compendij accedit. Amnes autem ex montibus effusi ac septẽ decémue milliarũ interuallo inter se disiuncti in pelagus deferuntur, seseq; super littora ac prata vsq; adeo profundũt, vt omnẽ proficiscẽtibus viã intercipiãt, nisi tignis trãsnatẽtur, aut ijs rebus, quæ in eũ vsum indigenæ cucurbitis, atq; eius generis tomẽto suffarta habẽt: & accola natans per aquas funẽ trahit, atq; alter cõto protrudit, qua ratione incumbentẽ his viatorẽ traducũt. Passim autẽ rura Barbari magno numero oberrãt, sarmentorũq; ac stolonũ dissectorum composita fornicatim strue sub arboribus viuũt, ita vt apricantes gratæ vmbræ perfugiũ, & aduersus nocturnarum pruinarum intẽperiem placidæ quietis locum diurno labore languoreq; fessi in prõptu habeant. Vniuersi vero tribus potissimum gentibus distinguuntur, quarum singulæ plures sub se populos nominum rursus varietate differentes continẽt. Hæ gẽtes dissimilitudine gaudent, & diuersis linguis sunt secretæ, frequenter etiã limites excedentes inter se bella gerere, & ferro iniurias vindicare discordes solebant, prius, quã in vnius

Littora ac prata fluminibus strata, quo modo trãsnatentur.

Peruuini in tres diuisi

Gyna-

Gynacauæ ditionẽ ad Æquatorẽ vsq; prouincia ceſſit: verum vti victoria eius cunctis ſub vnã poteſtatẽ redactis diſſidiorũ facultas ablata eſt, ita apud proceres & vulgus Cuſconica lingua, qua dũtaxat ius dicebatur, voluptati ac ſtudio eſſe cœpit, ſic vt huius gnaro totius prouinciæ peragrãdæ non difficilis facultas relinquatur. Fœminis lanea veſtis eſt ad talos vſq; propendens, mares induſiolũ ad ſuras vſq;, & huic ſuperiectum palliolum geſtant. Quanquam vero idem ferè tota regione corporibus veſtimenti ſit genus, capitum tamen habitus mirificè variant, quum ſinguli pro vſitato patriæ more faſciolas tornatiles, multi ſimplices, plurimi verſicolores gerant, nec ferè ſint quiquã, qui eo in capitum ornatu ſecundum patriam vſitationem ab alteris non vehementer diſcrepẽt. Admirabilis vero omnes naturalis indolis ſimplicitas imbuit, adhuc vetuſtæ ruditatis hæres, qua ridiculas nobis negociationes exercẽt, vix inexhauſtas ſuas auri atq; argẽti gazas ſapiũt, atq; informib⁹ eorũ maſſis dũtaxat vtũtur, quanquã, aureorũ atq; argẽteorũ emblematũ nõ minore, quã nos, delectatiõe capiũtur,

Cuſconicæ linguæ ſtudiũ ac pretium.

Habitus fœminarũ ac virorum.

Habitus capitũ varij.

quibus templorum atq; regiarum posties bracteato sculptóue opere fabrefactis plurimum exornant. In ea tamen vulgari simplicitate proximè Æquatori subiecti morum incommoditate ac vitijs reliquos superant, qui ab multa hypocrisi taciturni, & compressis in labra verbis submurmurãtes, non multum ab Iudæorũ modo abhorrent, fœdaque marium libidini procliuiores, exiguo in precio mulieres habent, quas non vilissimè modo sibi ancillari cogunt, sed vel leuissima offensione plagis acerrimè excipiunt. Iudusiolo leui vmbilico tenus vestiuntur, cæteras corporis partes ne pudendis quidem saluo pudore nudas relinquunt, crura brachiaque gemmatis sphærularum circulis ornant, & pertusis vtrimq; malis atque orum labris, torcosios atque smaragdos mirificè splendicãtes hiatibus infixos gerunt. In eo ornatu tanta superbia est, vt eundem vxoribus inuideãt, quibus nulla vel ad perpetuos grauissimi solis æstus arcendos stragula vestium præter tenue pudendorum præcingulum conceduntur. Apud hos ostia templorum in Orientem porrecta, laneo prependiculo sunt præclusa, in ipsis vero tẽplis simula-

Æquatori proximorũ populorum diri mores & infœminas sæuities.

Labra ac malæ pertusæ, & in earum foraminibus gẽmæ insertæ.

Simulachra hircorum.

simulachra duo ad atrorum hircorum similitudinem sculpta adorãtur, atque ad perpetuum cultum ante hæc certarum miri odoris arborum ligna cremantur, ex quibus, dum cortices detrahuntur, tã acri odore adeps defluit, vt olentium nares cerebraq; teterrimè afficiat, illita vero defunctis, aut gulis instillata (quemadmodũ cupresso promanans resina) perpetuo ab vermicularum iniuria, carieque vniuersa mortuorum cadauera vindicet. Apud Caraceos in supremis portarum peristylijs humana simulachra cõspecta sunt striata Diaconi stola induta. Passaones interfectorum puerorum virorumque corpora ad saxeos stylos mirificè aduersus putredinẽ præmunita conseruant, & capita truncatorũ in pugni magnitudinem quadam materia mirabiliter extenuata, ad postes clauis affixa tanto artificio ostendunt, vt post multa etiã annorum spacia nõ ingratum odorem spirẽt. In vulgaribus vbique ferè tẽplis magnorum serpentum figuræ adorantur: super hæc singuli priuatis in ædibus vetere Ægyptiorum superstitione, pro vt cuique sua ars atque opificium est, peculiares deos ceu penates ac lares

Arborum quarundã vis mirabilis.

Peruuinorum superstitio.

colunt. Hac in plaga promontorium in mare proïjcitur Desthælena ab Hispanis vocitatũ, piceis venis, saxorumque ambustorum tristi hiatu pluribus in locis tetrum atq; horrible. Ferunt indigenæ eum locum gigantum quondam sedem fuisse, qui quatuor virorum longitudinem exæquarẽt: dirum, atrox, in deos homines q; superbum ac contumax hominum genus. Nudos incessisse, aiunt, & ab egestate crudelitate q; immanes ac truculẽtos fuisse vsque adeo, vt præter captatas balenas, & aliã marinarum venationũ prædam, trigintaraptos accolas insatiãdis faucibus deuorarent. Apud Veterẽ portum viderunt Hispani cælata ad horũ similitudinẽ duo simulachra vtriusq; sexus: indigenæ vero memoriã eorundẽ, resq; ab eis gestas maiorũ cõmemoratione per manus traditas anniuersarijs festis recolũt, & de eorũ morte horrẽda cõmemorãt. Venisse cælo iuuenẽ solis instar rutilantẽ, eumq; in hos ignes ac flãmas, quæ ipsas penetrauerint rupes (quemadmodã adhuc certissima in saxis exustis signa cõspici possunt) eiaculatũ esse, persequẽtemq; internecione deleuisse. Hæc initio pro fabulis habita sunt, quoad Ioãnes Hol-

Promontoriũ Desthælena horrendum.

Gigantes & mira de his.

Holmus Veteris portus præfectus his rebus perceptis admirabundus eo in loco fodi iußit, vbi costæ tantæ magnitudinis sunt erutæ, vt nisi simul offensæ caluariæ fidē feciſſent, nun quā credi potuisset, eas humani corporis fuisse: Dētes præterea inuenti, qui tres latitudine, quatuor lōgitudine digitos exequarent, atque exinde indigenarū narratio fidē inuenit Id certißimè nostris persuasum est, quia præter summam immanitatē etiā flagitioßißimo posticæ libidinis vicio laborabant (vti et hodie tota gēs, quē admodū fertur, laborat) scelerū impatiētē Deū immiſſo veluti in Sodomā igne sulphureq; per Angelū nequißimā hoīm nocentißimorū strumā ex orbe terrarum excidisse. Verū in his liquidò cognoscēdis quæ ipsi de maiorū rebus gestis cōmemorant magna est difficultas, quū oīs sciētiæ prorsus expertes, literarūq; oīm ac picturarū exortes sint, quæ apud Mexicanos literarū loco habētur. Laneis enim funibus vtūtur (Quippos appellāt) quib⁹ implicitis diuersarū figurarū nodis numerū supputēt ab monade ad denariū, atq; inde altiꝰ numerādo gradatim ascēdētes: nodis colores imprimūt rebus illis similes quas

Dentes gigantū inuenti admirabiles.

Annales Peruuinorum ex funibus.

indicare volũt. Singulos prouincia quælibet cõstitutos notarios habet, qui per hos colores rerum, vel ante multos annos gestarum memoriam ceu literarum monumentis haustam plebi insinuant, & si quid tum in prouincia posteritate dignum geratur, fideli per eorum nodorum colores custodiæ demandant. Vniuersa autem hæc terra quæ montibus littoríque interiacens grauibus magnæ infertilitatis incommodis afflictatur, multis tamen locis in vallibus fluminum prætercurrentium irrigatione egregiè fœcundatis insignes aliquot vrbes habet. Harũ facilè quicquid præcipuæ sunt, quas allecti situs cõmoditate Hispani ædificijs quantum possent Europæo more exornatas, & mercatui habitaculoque delectas occuparunt. Prima est & Æquatori proxima Portus vetus, tuto quidem sed insalubri sinu nauigia recipiens, quibus ad superiores vrbes properantibus, vel his Panamaidem redeuntibus in itinere ad nautarum refectionem hospicium præbens, lignandi commeatusque adferẽdi copiã submini strat. Pauci propter grauissimi aëris intemperiem Hispanorũ isthic sibi certas sedes fixêre, qui sma-

Peruuiæ maritimæ vrbes quinque ab Hispanis occupatæ.

Portus Vetus.

ragdos

ragdos vicino in agro lateribus rupiũ, quibus accrescunt decerptos perpolitosq; magno cùm lucro varias in vrbes submittunt. Supra hanc ab quinquaginta passuum millibus Michaelia occurrit, quam Piuram Barbari vocant, in fertili quidem agro, sed prorsus argenti auriq; fodinarum experte, & peculiari ophtalmiæ morbo infami, qui transeuntium oculos magno dolore impedit atque excruciat. Patet ad hanc ab Motupia à sinistris supra viginti passuum millia iacente, porrigiturque ad Tumibambæ ac Cassamalcæ illustrium vrbium montes ingens camporum solitudo omni hominum cultu alimoniaq; destituta, & altissimo sabulo æstu perpetuo ardente suffocata. Tertia Hispanorum vrbs Trugillum ab Michaelia abest passuum millibus sexaginta solo frumenti Peruuini (quod Maitium incolæ vocant) feraciss imo prætereuntes inuitans, nec dubium esset, quin celebri etiam nauigiorum perfugio frequentaretur, nisi impediti portus discrimẽ deterreret. Sed his omnibus longissimè præferendũ, et totius maritimi tractus excultissima metropolis supra passuũ millia octoginta in amœnis-

Michaelia.

Solitudo Motupiana

Trugillum.

Regium à festo trium regum denominatū.

sima valle ad ripam amnis Regium sequitur à trium regum festo denominatum, quod illo die primum intrassent Hispani tutissimo portu ad duo passuum millia ab littore semotū. Tanta hic aëris temperantia est, vt toto vertente anno nulla insignis aut æstus aut frigoris ijs in locis iniuria sentiatur. Nostra æstate isthic aliquantò frigus intendi sentitur, sed inualescentem eius vim per id tempus eneruans tepefacto leniter humo placabilẽ roẽ nebula cãpis ad meridiem vsq; ea salubritate inspergit, vt quemadmodũ cõpertum est, qui illo humore capita imbuunt cerebri grauedine haud leuiter liberentur. Regino in agro mirifica est rerum omnium fertilitas fru

Regini agri fertilitas.

mentiq; præsertim, fabarũque ac pisorum, & omnis, vti apud nos leguminis, postremò solum ferre didicit ficus, mala citrea, arantia, limonia, apyrina, aliasque id genꝰ fruges Hispanicas. Nec terra pomis ferendis assuefacta vuarum ad vina exprimenda aptarũ copiam denegaret (quum ex solis passarum acinis vineas integras pullulasse sit compertum) si aliqua ratione aëris natura isthic pateretur. Magnam enim omnium frugum serendarum

darum tum soli sælicitas, tum profluí amnis cõmoditas non in pratis modo, sed in ipsis domorum hortis facultatem suppeditãt. Nam ex illo fossis ac riuulis in hos diductis nõ difficile relinquitur agrestium occupationum suauitate sese oblectantibus arbustis inciliatis, vitibusque ablaqueatis necessaria iustæ irrigationis nutrimenta subdere. Ad harũ fossarum margines Hispani etiam trusatiles molas erigunt, quæ flumineo agmine agitatæ nullo negocio frumẽta terũt. Vrbs quingentis ædificijs excolitur ambitu tamen plus spacij circumplectẽs quam plæraque quæ amplius duo ædium millia comprehendunt. Forum enim latissima planicie in immensum patet, & vici magnum spacium obtinent, ædificiorum areæ, præter cultissimas spacioſissimorũ hortorũ delicias octoginta amplius passibus extenduntur. Hæc quũ ob lignorũ inopiã, quæ vel triennio teredinum cossorumque vim ferre possint, contabulari nõ queant, sulcrorum quorundã terræ infixorum munimẽto cũ ambitu lato, & magna luxuriantium cubilium põpa regificè superstruuntur. Parietes rudere compacto erecti latera sustinent, qui

Ædificia Regiua.

qui altè ab humo imo feneſtellas cancellatis vitreisq́; interſtitijs ſpectabiles more noſtro ad proſpiciendũ in vicos ac plateas emittunt. Gradus ab area per porticum, veſtibulúmue aut podiolum in ædes introducunt, quarum ſuprema tecta carbaſo aut ſtoreis carinatim interdum impoſitis integuntur, quæ delineatis multa pictorum arte hiſtorijs, ad occupandos ſpectantium oculos non inutilem oblectationem præbent. Hac ratione aduerſus aſſiduos vrentis ſolis æſtus ædes munitæ ſunt, quũ firmiora adhibere aduerſus pluuias munimenta ſtultum eſſet, quando, vt dictũ eſt, nulla maritimi tractus terra intra tropicũ capricorni pluuiarum, fulminũ, tonitruum, atque id genus procellarum tempeſtatem non ſentiat. Cur autem hæc terra omni imbrium ſubſidio caſſa ſit, cauſſam ferunt ex naturali ratione ductam, quòd eorus toto anno flans iracundo conſurgentium montium (qui quodammodo repercutiunt atque retundunt intrantẽ) ſupercilio in ipſo ingreſſu reiectus, & intra rupium littorisq́; anguſtias coarctatus tantam indignationem concipit, vt humorem ac vaporem marinum in continentem inclinantem

Pernuia maritima cur pluuijs careat.

nantem exasperatus interturbet, iracundeq; disijciens in aërem dispergi, atque isthic concerni non patiatur, vnde tempestatis mutatio alioqui consequi posset. Hãc etiam caussam adferunt nonnulli cur æstuans mare Peruuinum semper ad Septentrionem feratur, quanquam cum alijs hæc nobis potior videatur, quod cum occidentalis oceanus magna vndarum mole incumbens per fretum transitum paret, & tãta aquarum vis per eas angustias commodè transmitti non possit, vsq; adeò grauj feruore atque impetu perrumpit, vt vniuersum id mare ab Septentrione in occursum sibi decurrẽs reiectis reuerberatisque vndis ad suas sedes repellat. Regio centum triginta leucarum itinere aditur. Arecupia quinta inter maritimas Hispanorũ Colonia fœcũdo ac salubri in loco ab mari duodecim passuũ millibus sita, trecentísque amplius ædificijs exornata est, nauigiaque cõmodo portu recipiens quæ vinum commeatumque Cusconicis, Collaonibus, atque Charcantibus aduehunt, & ea remittens quæ allatũ ab his aurum argentúmue Regium aut Panamaidem deportant, magna commeantium

Peruuinũ mare cur retrogradũ

Arecupia vrbs.

frequen-

frequentia celebratur, & maioribus in dies ciuiũ opulẽtiæq; incrementis excreſcit. Supra hanc vrbẽ quadringentis paſſuũ millibus iuxta Pacificũ mare Chiliaci populi habitant ab incredibili regionis frigore nomẽ habẽtes, pluuiasq; ac fulmina et totius anni mutationẽ ſentiunt. Nã vbi littus quadringentis paſſuũ millibus, qui gradꝰ triginta efficiũt, vltra lineã æquinoctialẽ ſeſe extenderit eandẽ, ac nobis eſt, tẽpeſtatũ cõmutationũq; anni rationẽ diuerſis licet temporibus terra admittit. Chiliaci partim ingẽtes anfractuoſi maris ſinus, partim mõtana inhabitant, quos demũ magno ac diuturno bello perdomuit Petrus Valdiuia, & vrbẽ extruxit vbi nũc noua Hiſpanorum colonia coaleſcit: terram multa tẽperie diurna, frigoribus noctu ſæuiẽtibus, populorumq; frequentia ac raro morum cultu moderationeq; laudabilẽ ferunt. Eſt hic alibi magnus ſtruthiorũ numerus, qui per valles locuſtarũ inſtar ſaliẽdo diffugientes per celeres equos longa inſectatione capiũtur. Multa inſuper flumina interdiu rapido agmine decurrẽtia cõſpiciuntur, quorũ alueus noctu vix tenui aquam adeſcit: nã die niuiũ vrgẽte ſo-

Chiliaci populi.

Struthij aues.

Flumina interdiu currentia, noctu non currentia.

te solis feruore, distillantiũ imbres magnæ aquarũ mole deiecta alunt, eadẽ noctu frigoris ac gelu immẽsissimæ tẽpestates niuibus cõstrictus, et fomento substracto facile supprimũt. In ea plaga quæ Antarctico subest, nullo tamẽ certiore ac clariore astro polus notari potest nisi tenui et lurido fulgore pallescẽte nubecula, quæ sub nocturnũ crepusculũ pigro & leni rotatu circa Antarcticũ sese vertat, quatuor stellas in speciẽ crucis diductas ita sequẽtibus tribus, vt planè Vrsæ nostræ septentrionẽ exprimãt, nec vlla ratione differãt, nisi quod illæ, quæ crucis formã repræsentãt, paulo arctiº inter se sint cõiunctæ, nec tãta lucis claritudine splẽdoreq; luceſcãt oẽs, quiin nostris septẽtrionibus conspicitur. Vbi lõga nauigatione ducẽtis leucis supra Panamaidẽ est peruentum penitus Arctos amittitur, statimq; quanquã altè sub Antarcticum sit ventũ, tũ demũ tamẽ nautis obseruãtibus polare punctũ quatuor hæ stellæ in crucis formã diductæ designare tenui et vixdum spectabili fulgore oblãguidæ incipiũt, et illi ac harũ sensim lucidiº sese aperiẽtiũ ductũ nauigatiões dirigunt, et cursus metiũtur, triginta demũ

Signa poli Antarctici.

gra-

gradibus prouectis reliquæ tres in conſpectũ veniunt. Supra Chiliacos incredibilis potentiæ reges duo, amplius vaſtaſque regiones latiſſimo imperio occupant, qui perpetuas diſcordias ac bella contentioneſque ob principatus dignitatem alunt, & cruentis ſæpe prælijs dimicant, feruntúrque interdum amplius ducenta armatorum millia in aciem producere, & magno terrori finitimis eſſe, regionumque opulentia, & popularium tributis infinitos auri argentíque theſauros poſſidere. Horum alteri Lychengorme nomen eſt, quem inſulam duobus paſſuũ millibus à continente ſitam habere ferunt, eſſeque in eadem templum magnitudine ac diuitijs incomparabile, in quo duo ſacerdotum millia incredibili pompa dijs ſacrificia peragunt. Proximè huius fines narrant Hiſpanis indigenæ magnum vaſtæ regionis ſpacium intra duos maximos amnes Amazones obtinere, quæ niſi certis temporibus ad coitum generandi cauſſa viros admittunt, prægnantesque à partu fœmellam tenẽt, marem parenti remittunt. Harum regina Quabimilla dicitur, quod ipſarum lingua aureum cœlũ ſignificat ab auri co-

Vltra Chiliacos reges potentiſſimi duo.

Amazones

ri copia haud dubiè dicta, qua nulla totius prouinciæ regio illarum terra est affluẽtior, penduntque ingentia tributa Lychengormæ cui subiectæ sunt. Porro id quoque cognoscendum, vniuersi tractus maritimi accolis tantam esse natandi peritiam ingenitam, vt nullo negotio aduersos fluctus natantes sustineant; & in venti vim vel turbidissimè spirantis stabiles contendant, tantam etiam celeritatem vt nauium plenissimis velis proue ctarum cursum natando adæquent. Iuxta oras magna multitudine vultures conspiciuntur versari dira marinis lupis pernicies, quos multi simul ex insidijs circumsistunt, rostrisque diu impetitos perimunt, ac perẽptos ex æquo deuorant. Verùm his ipsis longè saeuiores ex halcyonum genere volucres, quas Alcatraces vocant, maiore numero passim littora oberrant, & carabis piscibusque insidiantur, cadauerina carne mirum in modum delectantur, quamobrem & ipsæ ex frequente cadauerum esu, intolerabili fœtidæ carnis rancedine vsque adeo sunt læthales, vt ad earũ esum necessitate redacti, non secus quam aconito toxicóue victi intereant. Maritimæ

Peruuinis mariumis innata natandi peritia.

Vultures.

Halcyones.

Peruuia montana atque eius fœlicitas.

regioni hominum cultu, vrbium frequentia, & soli aërisque beatitudine montana longè præstat, ac peculiari idcirco regum sede procerumque habitaculo excoli consueuit. Terra enim omnis egregia clementis cœli temperie adiuta multò innumerabilium riuorum amniculorumque, quos montes profundunt, excursu mirificè fœcundatur, ità vt graminosis vbique viretis lætissimè transeuntibus arrideat, & fertilibus passim pratis grauida omne leguminum genus liberaliter præbeat: Nam præter chamæcerasia, & alia eius sortis mora dumetis assueta, lactucasque, brassicas, caros, daucos ac raphanos magna proceritate luxuriantes, sed tenuiũ etiã mensis vulgares, etiam amaracum, nasturtium, petroselinum, saluiã, oxylopathum, mentam, & inuisam Veneri portulacam condiendis epulis lautissimas herbas profert, & cætera porrò omnia, quæ postea Hispanis serentibus accepit, vberrima referendi benignitate reddit. Præter has alteram herbam edit, flauos flores tenuiusculis petiolis egerentẽ frondium habitu apio non absimilem, quam celebratissimo ab Græcis scriptoribus potamio stra-

Herba vulneribus sanandis maximè accommoda.

stratiote potentiorem vulneri etiam rancescenti, & Chirurgorum desperatione deplorato vnicum solam remedium afferre, eandem autem carnem sanam ac valētem (si huic adhibita sit) ad ima ossa peredere ferunt. Hac etiam præstantior nascitur altera (Cocam vocant indigenæ) frondibus eius arbusculæ similis quæ Græcis Rhus dicta est, Latini frutticem coriarium vocarunt, quæ, sicuti reipsa compertum est, omnem cibi ac potus appetitum auertit in ore gestanti. Verùm ante alia frumentum tanta fœcunditate luxuriat, vt, sicuti proditur, ipse dicere verear vno ex satiuo frumenti sextario amplius quinquaginta aut centum, ducentos interdum progigni, quòd eò certè vehementius demirari licet, quòd leuissimam tenuissimamque agriculturæ curam ac rationem exerceāt. Agros enim leuiter expurgatos, & lolijs euulsis sarritos, quum aratrum vomeremque penitus ignorent, non tanto inductis sulcis subruēdi, glebas occandi, deinde post iacta semina cylindro æquandi labore fatigant incolæ, quantū nostri ad fruges ferendas requirūt, sed lignea pala modicè vulneratam humum leuiter in-

Herba Coca sitim ac famem tollens.

 uertunt,

Peruuinorum agriculturæ mirabilis.

uertunt, scrobibusque effossis grana pastino ligneo, sicuti apud nos fabæ solent, depangũt, quæ regesto demum superfuso cõdita in summam luxuriem prorumpunt. Herbarum frumentique copiæ arborũq; fœcunditas respondet, quarum non illæ modo, quas nouit Europa, egregiè crescunt, sed earum etiam plurimas inuenire licet, quæ nobis nomine naturaque sunt prorsus incognitæ. Nam, vti in montanis fieri solet, nigricantes plurimis in locis syluæ occurrunt, quæ non omne arborũ genus modo, & earũ caudicibus vberrimam lignandi copiam, sed in cauis abditisque specuum lustris magnam ferarũ multitudinem

Feræ & aues Peruuinorum.

subministrant. Pumilium etiam animãtium campi ac imæ valles ad aucupũ voluptatem vsque adeo sunt plenæ, vt lepores, cuniculi, turtures, columbæ, fincedulæ, Nisi frigillæq; nullo anni tempore mensis desint. Sed ne psitaci quidẽ, vulpes, Vrsi, ac Leones rara montanis sunt animantia, equi non isthic modo, sed per vniuersum orbem nouum penitus in-

Equi nouo orbi incogniti & ob id magnus incolarum.

cogniti, quamobrem passim incolæ ad primum equitum conspectum veluti dæmone quodam viso aut Centauri monstro refugere metu

exanimes

exanimes solebant. Verùm horum egentiam quanquam imparibus, & ineptis ad bellum viribus ouium copia supplet, quæ equis magnitudine pares, & cætera forma præter torosi pectoris strumam camelis persimiles quinquaginta onerum pondo sustinent, & virum in terga sublatum ad aliquot passuum millia vehunt, fessæ, si tamen vrgeantur, sedente ore conuerso ringentes fœdo odore conspurcant, si onustæ sint, tum humo sese acclinãt, nec inde vlla verberum vehementia ipsis asinis contumaciores, nisi penitus clitellis exonerentur, propelli possunt, vtile profecto animantium genus non ad supplendã modo absentium equorum in sarcinis virisq; vehendis commoditatem, sed ad alimoniæ etiam & opimi lucri vsum. Lanæ enim tenuitate, longitudineq; & copia facilè nostras superant, et ipsius carnis suaui gratitudine veruecium atque iuuencorum nostratium delectabilẽ saporem adæquant, frumẽto vescũtur, sed pauciſsimi cibi sunt, vsque adeo exigui vero potus, vt illo triduum quatriduúmue abstineant. Barbari si quando vulgari epulo solenne festũ celebrare decreuerint, ad ferinæ car-

Peruuinorum oues camelis similes.

Peruuinorum venatio mirabilis.

nis apparatum mirificam venationem instituunt. Quinque quatuórue hominum millia latum aliquot iugerorum ambitum complectuntur, gradatimq; ad cantici strepitũ propinquantes in continentem pedetentim coronam subeunt, ita deinde horribili clamore excitas lustris feras, & pauido discursu effugere conantes, sed arcta corona circunclusas magna multitudine cædũt rapiũntq;. Plæraque autem montium pars innumerabiles auri argentiq; gazas nobilissimis fodinis emittit, nec vlla ferè vrbs aliquo nomine spectata offertur, quàm nõ insigni alicuius minæ aurona tura ditarit, vt merito harum comparatione diuitiæ sordescere debeant, quas aut Tago aut Lydorum Pactolo veterum fabulæ ascripserunt. Nam præter inexhaustas montium Arrugias quis eloqui possit quantã auri argentiq; vim canalicia, aut egesti flumini bus thesauri ferant? quæ rutilantibus arenis, & pellucidis vndis limpidi aureo quodã profluxu ruere videntur. Nec in tanta fodinarum copia minij, sicut accidere Plinius testatur, aut sandaracæ & id genus versicoloris terræ ad vestimenta inficienda venæ desunt.

sunt. Supra has dotes omnis hæc plaga, quæ per montes latissimè extenditur, ad vberrimam satiuarum frugum alimoniam, & priuatorum etiam puteorum commoditatẽ mutante vices tempestate pluuiarum subsidia habet, quæ in tanto solis æstu magno incolarum & agrorum hiantium gaudio excipiuntur, sed summa vallium depressarum inuidia, quibus, cohærentium montium densitate id auxilium solatiumque intercipiente, assidua euectarum frugum vredo, & graue caloris prementis onus incumbit. Verum solers illa rerum natura erudita & accommoda dispensatione quælibet moderari solita, ne earũ vallium incolis penitus inuidere visa esset, ea rem arte composuit, vt montani perpetuo inhærentium cacuminibus niuium frigore discruciati vallium incommodo non multũ lætari, & pluuiarum inopiam riuorum multitudine vallicolæ sarcire possent. Hac regionis fœlicitate incolæ industria, atq; ingeniorum solertia dignos se præstant, qui sicuti soli bonitate, ita naturæ politiæq; præstantia maritimos longè antecedunt. Viri subuculam ac chlamydem laneam gestant, promissosque

Peruuia montana pluuias ſentit.

Peruuinorum montanorum mores ac politia.

alunt crines, quos circa verticem tenui fascia substringunt: fœminis vestimentũ est oblongum, non manicatum, quod laneo cingulo ter quaterq; circumducto infra vmbilicũ succingitur, huic penula superiicitur aurea argenteáue ascicula circa collum constricta, quam Topum vocant. Hæ candida facie gratiosæ, quanquam absurdè ferè in acutam cuspidem capitum vertices acuminentur, nõ formæ modo, sed modestiæ verecundiæque muliebris & reliquorum morum non leui gratia pollent, & huic singularem in maritos amorem fiduciãque mirabiliter adiungunt, quos præter sui sexus vires in quotidianis operibus assiduo & fideli labore subleuant, atque intra ædiũ parietes non grauatæ quanquam nullo compulsu inseruientes sedulam rei domesticæ curam gerunt. Ex hoc gnauæ gentis variorum laborum vsu & exercitio indigenæ non omnino thesaurorum suorum precia & magnificentias ignorant, & auri argentiue liquefaciundi purgandique arte etiam nostros, situ adiuuante locorum, longè exuperãt. Fornacibus enim patulo ad meridiem ore apertis, vbi semper esse diximus, materiem con-

Fœminæ montanorum.

Montanorum materiæ liquefaciendæ ars.

condunt, & cuium stercora imponunt, quæ vento sufflante calefactæ tantum æstum emittunt, vt nullo grauiore omne metalli, auri, atque argenti genus liquescat, quod subditum fuerit, adeoque compertum est Potosinarum fodinarum materiem reiecto Hispanorum labore nulla re alia, quàm eo fornacium genere liquefieri potuisse. Ab illa verò vtriusque sexus sedulitate fideq; magnum amorem coalescere, & maiorem inde industriam, peritiorumq; ingeniorum artificia proficisci, ciuitates etiam rectioribus rerumpub. constitutionibus instrui, & gnauiore regum principumque prudẽtia imperium administrari nõ mirum est. Incolæ egregia passim ædificia inhabitant, & quia pluuijs infestantur, tectorum terreorum munimento aduersus tempestates probè instructa, nec iusta spatiosorum cubilium magnificentia, atque ornatu cassa. Elixo pistoque frumento & ferina vescuntur, quam ad diuturnum succidiarum vsum veluti apud nos lardum, petasones & farcimina solent, fumo condurant, præterea siccatis piscibus, & diuersis radicum olerumque generibus, & ijs denique omnibus quæ postea

Cibus ac potus Peruuianorum.

Hispani intulêre. Potum ex frumenti & aquæ polenta conflatum vini loco vsurpant, quem Acisam vocant, nihilo ferè Hispanico vino cerebris clementiorem, quanquam Barbari more nostro ad ingluuiem proni, non grauatè gentilem potum omittunt, quoties vini copia fiat. Præter hunc minoris vis ac precij tenuiores ex arboreārum quarundam frugum succo alterum exprimunt. Communium legum septis coërcentur omnes, & in summa Rerumpub. moderatione egregius iurisdictionis est ordo, iustóque suppliciorum inflictu in sontes animaduertitur, præterq; cætera criminum nomina adulteria & impuræ alieni tori violationes, quas magno Christianæ religionis pudore nostri parui interdū morantur, maximè abominabiles habētur, & grauissima supplicij acerbitate vindicantur. Id vero supplicij genus vix oratio, vix aliorum fides capere possit, quod regias coniuges attentare ausis infligitur. Nā si vel solius ad patrādum facinus propositi sit conuictus, nec tamen vera perfecti sceleris labes accesserit, is vnà cum muliere, si culpæ consors fuerit, viuus in foro ex-

Adulteria maximè punita.

ro exuritur, parentesque, vxor, liberi, & quicquid hunc cognatione aut proxima familiaritate contingit, minore quidem, sed mortis tamen supplicio, dein ipsum etiam natale solum miserabili vastatione vnius scelus expiare coguntur. In hoc publico priuatoque exercitio non deest bellicus vigor, quo ad gloriam parandam, imperijque amplificandos fines propinquos dominos pati non possunt, & vicinas gentes subijcere, suique nominis ac regni dignitatem propagare maximè student. Arma illis sunt, ensis, hastile præpilatum, clauus ferreus, securis, argentea aut aurea acie, fundi, & alia telorum genera: excurrere, seruare ordines, ferre opem expeditè norunt, nec virtute petitam mortem extimescunt, modo vel suis egregiam memoriam relinquere, vel accipiundi ab ducibus muneris locum facere possint. Hæc montana regio tanto soli hominumque cultu ornata, præter infinitas alias, quas magna frequentia Barbari passim inhabitant, quatuor vrbes potissimũ habet, quæ multò quidem antea maioris ante alias, culturæ nomine præcellentes, longè

Arma Peruuinorum

ta-

tamen maiorem frequentiæ ac negociationis lucem Hispanorũ colonia sunt adeptæ. Ha-
Vrbs Quito rum prima Æquatori est proxima Quito, virente in solo & omni frugum beatitudine florido, inuentisque postea fodinis ad maximæ negociationis florem peruenturam certum erat, ni in ipso pullulascentis viroris limite, Consaluus Pizarrus fugatis incolis, & omnium fortunis crudelissimè spoliatis in ipsam vrbem sæuus atque impius indignissimè affixisset. Supra Quitonem ducentis passuũ millibus Braccamori & Cichapoiades proximè
Vrbs Leuantinam. Leuantinam vrbem sedes habent, in quam Alphonsius Aluaradus Hispanorum coloniam duxit. Ea fertili & diuite fodinarum solo non splendidè modo incolas alit ac ditat, sed profunda valle, & largo fluminum circumcursu aduersus hostiles insultus fortiter munita, si modo intercisi pontes aditus præcluserint, agrum ac sese tuetur. Sexaginta milliarium interuallo distans excipit adeuntes,
Vrbs Vanuco. Vanuco, cui Vacianus Caster impositapatriæ suæ appellatione Leonicæ nomen mutauit. Ager eius vulgari opinione fodinarum gazis locuples habitus incertas adhuc spes hominum

minum tenet, quum Barbarus Princeps adhuc fœdus respuat, finesque constanter aduersus vicinos hostes superbus & nostri inuidiosus defendat. Pari locorum spatio ab Vanucone distat Vamantiacum Hispanis D. Ioannis Victoria appellatum fructuoso & diuite quidem solo, sed ob frequentes vicini hostis circa eum locum perpetuo exercitu versantis, & semper ex occasione nocentis incursus hominũ cultura tenui securiores ad quietem ac tutiorem negociationem sedes obtinere quærentium, quam obnoxijs periculũ quotidianis locis hærere, & agros serere, quos vnius incursus momento vicinus hostis crudeli igne peruertat. Post hanc vrbem montes sensim crescentes absurda vastißimorum cacuminum altitudine vltra nubes insurgunt, perpetuisque niuium voraginibus contecti nobiliſsimos totius Peruuiæ Montanæ amnes emittunt Sausam, Argyreum, Auancæum, & Apurimiam: Hi vehemẽtißimo impetu ex alto procidentes per latißimas amœnißimasque valles diuersos populos adeunt, sed inter omnes longè Princeps Argyreus ab Argenti copia quam limpidißimus glareis egerit,

Vrbs Vamãtiacam.

Quæ hic de Argyrei amnis ortu dixi, ea ex Hiſpano authore hausi, sed lectorem monitum velim parũ adhuc

egerit, Hispanica voce Plata dictus, longissimo excursu diuagatur, & in omnes aque gazarum suarum profusus ac liberalis, quacunque tendit, agros & incolas inexhausta argenti auriq; opulentia afficit, demum magno influentiũ amnium agmine propulsus in occidentalem Oceanum defertur. Secundum hunc Sausa nobilem Sausani populi gentem faciens (quæ Regium Cuscone eũtibus transeunda est) magno lacu Bombone extruditur, cuius ripa ingente hominum frequentia accolitur, & in ipso lacu iacent insulæ arundinetis incultæ, & animantium pastui tantum vtiles. Barbari quoties hi aut alij amnes pedibus impenetrabiles trãseundi occurrant, si ligna desunt, pontes distentis in vtramq; ripam tomicis construunt, quos herba quadam Maqui ipsorũ lingua vocitata, sed sparto aut canabo rigidiore intorquẽt atq; indurãt. Vamãtiacũ octogẽta milliũ interuallo dextrorsum extrusa sequitur montanarũ vrbiũ regina Cusco hominum cultu Regio par, fodinarũ opulẽtia lõgè superior. Hæc ante Hispanorũ aduentũ Prouinciæ reges læta Aulicæ pompæ sede fouebat, magno procerũ & gregariorum

originẽ huius fluminis Hispano aut mihi esse compertã, quũ ille sibi non constet, sed nunc è Cusconicis montibus, nunc è Bombone lacu, nunc longè diuersæ è Quitonicis montibus geri dicat, ex quibus postrema opinio mihi videtur probatior, cum chartæ Cosmographicæ inde etiam ortũ eius deducere videantur, tamen nihil in hac incertitudine affirmare volo.

Vrbs Cusco.

riorum commercio iura hinc petentium celebrata, & inter Peruuinas sola quæ faciem vrbis præfert. Munitissimã enim quadratorum maximæ magnitudinis saxorum molem habet, quorum permagnam copiam vicini montes immensissimis lapicidinis petentibus excidentibusq; suggerunt, & indigenæ saxis erutis, & infinito labore, quum ijs oneribus trahendis vehendisq; equi ac boues deessent, vnum ad locum comportatis firmissimo egregiæ structuræ operi adhibuerunt. Ædes, quas incolæ quondam possedêre, easdem politiore paulò ornatu instauratas Hispani tenent: vniuersa ciuitas quum magno hominum concursu in dies augeretur, regũ instituto quatuor in partes veluti tribus dispertita est, & in harũ vnã seuero edicto impulsi quicunq; ciuitate donari, aut vrbẽ incolere vellẽt, recipere sese debebant. Ager non frugũ aurearumque fodinarum, quarum ingens numerus circà scatet, fœlicitate modo gratiosus est, sed mitissimi aëris auræq; placidissimæ tãta gratia commẽdatur, vt vegetè saneque ingresso pristinã valetudinẽ nõ facilè immutet. Agro Cusconico difiũctũ magno satis spacio iacet ad orien-

Arx Cusconica.

Agri Cusconici fertilitas & cœli salubritas.

Lacus Titicaca.

oriẽte lacus Titicaca, quem rapidiſſimus amnis in occidentem decurrens aquarum in magnum ſe ſpacium effundentium exuberantia efficit, ac deinde veluti intolerabili onere paulò ſolutus in aluei ſui anguſtias redit, ſed iſthuc receptus, iterumque velut ante illabentium amnium mole increſcens in alterũ rurſus, ſed minoris magnitudinis lacum prorumpit, laxatiſque tantæ molis incubitu humeris liberius excurrens obſcuro exitu euaneſcit in occultos, vt credi par eſt, naturæ ſpecus ſubſidens, & ſubterraneo aluei abſorpti cuniculo in pelagus tranſmiſſus quemadmodum Alpheum ex Peloponneſo in Siciliam perlapſum olim ferunt: Vltra Titicacam ad orientem plana & æqua in regione Collaones, atq; his proximi Charcantes adeuntur, gens fodinis & Argyreo amne mirificè diues, culta, & politica diſciplina inſigniter inſtituta, huiusque & noſtrorum maximè, vſu erudiente, moribus cultis imbuta. In horum finibus frigido multum loco eſt Argyropolis quintamter montanas Hiſpanorum colonia, non magna quidem ciuium habitantium copia, ſed eorundem incredibili opulentia inſignis, qui

Collaones & Charcantes populi.

Vrbs Argyropolis.

infimi-

infinitam seruorum fodientium turbam ad eruendas fodinas alentes, immensos auri argentique reditus præfecturæ ac curationis nomine habent, & longè procul dubio maiores contraxêre, postquã nouissimè ad Potosium fodinas scrutantium auaritia nihil intentatum relinquens, inuenit copia atque multitudine argenti vsque adeo breui inclarescentes, vt multis destitutis ad has magno fossorum numero sit concursum. Huic vrbi introrsum à sinistris ad orientem proxima regio quam Didaco Roæ explorandum Vacianus cõmiserat, Peruuinæ prouinciæ terminos finit, qui ab Pasto vrbe infra Quitonem sita ad Chiliacos vsque directo transuersum parallelo supra mille octingentas leucas longitudine complent. Vtriusque autem regionis Peruuini vti literarum ac scriptorum monumentis carentes, quemadmodum ante dictum est, nullam rerum cognitionẽ nisi fallibili ex prædictorum funium nodis versicoloribus ratione exceptam habent, ita nihil etiam certi de mundi initijs, de sua procreatione nisi vetusta traditione opinionem receptam tradere queunt. A Septentrione aiũt veniſſe quem-

Vrbs Potosium.

Peruuiæ longitudo.

Peruuinorum de sua creatione opinio.

piam ossium, neruorum, artuumq́, & totius corporis expertem, eumq́ seculi eius homines procreasse, atque omnia obeuntem viarum rationem, & montium altitudinem constituisse: demum vero ab maritimis iniuria affectum eam regionem aliàs fertilitate lætissimam in tristem, sabulo enectam, atque infructuosam commutasse, & omni aëris pluuiarumq́ commoditate interdixisse, concessis modo fluminibus, quæ potus necessitati sufficerent. Hunc Conum nominatum, habitumque primùm pro numine, & solis lunæq́ filiũ fuisse narrant, quoad demum hoc longè præstantior potentiorq́ à meridie alter aduenerit nomine Pagacamas solis etiam lunæq́ filius, cuius aduentu euanuisse Conum: actũ factos ab Cono homines, authore Duceq́ orbatos suo, Pagacamam in ea animantiũ genera transformasse, quæ nunc Peruuium habeat, & nouum hominũ genus creasse, idq́ præsentis seculi esse mortales, quos colendi agri, ac politicarum artiũ scientia imbuerit. Hunc pro summo numine habent, & supremos diuinæ latriæ honores exhibent, eamque regionem, in qua versari solebat, Regio quatuor passuũ milli-

Pagacamas Peruuinorum Deus.

millibus distantem eius nomini dedicarunt. In hac optimatum quorumque defunctorum corpora, vt ipsius numini consecrentur, animæque delictis expiatæ in optatis gaudijs conquiescant, humantur. Hæc enim honorifico exequiarum splendore humo mandant, & de futura reuictione non multũ ab nostra persuasione abhorrent, qua permoti ex pia quadam simplicitate, dum virũ Principem atq; Heroem terræ cõdunt, vnam atque alteram vxorem (& ipsi enim polygami sunt) quæ viuenti fuerat charissima, atque è seruis, qui fiducia spectatiore probatiores erant, aliquot, præterea magnum auri atque argenti pondus, quo honorificentiore comitatu postea in vitam redeat, simul cum defuncto condunt. Sepulchris etiam nostratũ more humatorum insignia affigunt, & in exequijs mortuo per cannam potũ Cicham infundunt. Egit autem hic Pagacamas apud Barbaros ad Hispanorum vsque aduentum, qui, postquam rerum potiri cœperunt, nusquam postea compa ruit, vnde persuasum nostris fuit cacodæmonẽ extitisse, vanis ludibrijs rudem simplicẽq; gentem decipientem. Est illis non insulsa de

De resurrectione opinio.

Ritus humãdi Principes.

Spectatiore probatiores erant.

De diluuio opinio.

diluuio opinio, asserunt profugisse tum omnes in editissimorum montium specus atque antra, & ad præcludendos aquarum introitus, ora ostiolis firmissimè obturasse, opinantes deinde aquam refluxu ad sedes referri, canum emissorum indicio rẽ didicisse, qui quoad madentes, non luto fœdati redirent, cognitum fuisse nondum terras aquarum mole liberatas, sibi verò non egredi tutum. Præterea hanc vniuersam terrarum compagem generali excidio perituram credunt, sed grauem siccitatem præcessuram, & soli lunæque tenebras offusum iri, quos ob id eclipsi obscurari cùm vident, in magno metu versantur, in grauissimosque vlulatus profusi iam terreni interitus diem adesse opinantur. Supra Pagacamam Solem ac Lunam adorant, & per hos, perq; tellurem, quam pro cõmuni matre habent deierant ac fidem astringunt. Solis vice in tẽplis lapides figuratos cultu atque adoratione afficiunt, quos Guacas appellãt. Id lamentationis vocem innuit, quod simulac huiusmodi delubra sint ingressi, confestim omnis gaudij immemores ad fletum ploratumque conuertantur. Ad Guacas nemi-

De terræ excidio opinio.

Guacæ lapides adorantur.

ni acce-

ni accedere fas est, præter destinatos sacrificos candidis vestimẽtis indutos, qui cùm adoraturi accedunt, in solum prouoluti, manibusq; vestimentulum candidum tenentes cum Diuo diuersa lingua, sicuti in Pithicis Delphicisque oraculis petẽdis olim fiebat, ne vulgus intelligat, colloquuntur. His omne sacrorum munus ac cura innititur, victimasque seu animantium, seu muti operis, delatas cõsecrandi ad hos negocium pertinet. In animantium immolationibus Veterũ superstitione ab extis, & humano imprimis corde (nam & hi homines immolant) aruspicia atque auguria capiant, ac in his, nisi destinata animis signa offendant, non antè quam offenderint, sacrificando supersedunt, rati & alijs persuadentes eiusmodi hostijs Diuum non esse contentum. Hi incredibili pietatis ostentatione in vulgus admirabiles prodeunt, quæ maximè sanctimoniæ opinionem apud plebẽ, sicuti apud Iudæos in Pharisæis accidit, concitat atque alit. Nam sacrificaturi, fœminis abstinent, et si fortè delictum quid sit, ieiunio expiant, ad sacrificandum procedentes obuinciunt oculos, tantoque interdum precandi ardore zeloque

Peruuinorum aruspicia.

Sacrificorũ sanctimonia ac zelus.

concitantur, vt sibi, quemadmodum conspectum fuit, oculos eradant, vnguibusq; effodiant. Nec tali sanctimoniæ opinione concitata obseruatio horum, ac reuerentia inani simplicis vulgi admiratione sustinetur, verũ ipsi Principes, sicuti olim Persarum Indorũq; reges Magorum ac Bracamanorum, horum authoritatem anxiè suspiciunt ac venerantur, quibus inconsultis nihil moliri audẽt, id certissimè inauspicatum fore ducentes: illi vero tantæ authoritatis amplitudinem incorrupta consulendi fide tuentur, quum nõ, quæ Ducibus gratiora fore arbitrantur, ad tuendam gratiam mox inconsulti è suadeant, sed ea ingenuè tantum consulant, quæ certissimo Diui oraculo excepta ex imis adytis reportarint. In his delubris inuenere Hispani amphoras puerorum, qui immolati fuerant, ossibus plenas, interque argenti cumulos, fusta, ac massulas, sceptra, ac mytras nostrorũ Episcoporum insignibus planè similes, integra multis in locis simulachra conspexêre Antistitum Christianorum more mytrata. Barbari frequenter rogati qua ratione eorum ornamentorum sit introducta cognitio, nihil respon-

Mytræ repertæ.

respondere vnquam certius potuerunt, præterquam longis maiorum monumentis ad se peruenisse: quare ipsi, cũ aliquando Themam Verlangium Terræ firmæ Præsulem sacrata ornatum mytra missificantem viderent, mirabundi asserebant suo Guacæ persimilem esse, adeoque, num Christianorum Guaca is esset, interrogabant. Præter Guacas plura diuersæ sortis tẽpla cœnobiaque soli dicata habebant, in quibus magni fœminarum cœtus agebant, quibus perpetuus pãni gossypini texendi labor erat, quem artificioso opere confectum vnà cum candidis ouium ossibus exurebant, cineresque versus Solem in auras dispergebant. Hæ tutis monasteriorum septis inclusæ, & prisco Vestarum, & nostrarum etiam sacrarum virginum ritu, ab omni libidine et virorum consortio alienæ, sese perpetuæ pudicitiæ virgineæque verecundiæ deuinxerant, ac deuotæ castitatis legem temerare ausis, inexoranda mors in promptu erat, sic tamen, vt si Solis compressu factum adiurarent, infans certissima nece liberaretur. Fuere Peruinis multò antea stirpe ac virtute insignes, quos Curacas vocarunt sine summo aliquo

Virgines vestales Soli dicatæ.

Peruuinorum Principes.

rege aut Principe, qui æquato inter se iure imperioque, prouincias administrabãt, & bel la aduersus hostes gerebant, sicuti quondam Rom. Rempub. gubernatam constat, tantisper dum ab Titicaca lacu Ingæ numerosa multitudine profusi, Cusconem occuparunt. Apud hos penes vnum summa rei vniuersæ erat, quem Ingam Zapalim nominarũt, hoc est, solum ac supremum regem, qui fixa imperij sede Cusconica in vrbe, breui circumiectam prouinciam, domitis incolis, & libertate excussa, potestati tributisque subiecit. Filius paterno imperio ita succedebat, si primum defuncti frater imperasset, quo defuncto tũ demum ad filium rerum potestas redibat, cuius demortui frater rursus imperium excipiebat, ac deinde filius. Regum diadema erat fascia lanea rubri coloris, tempora obcingẽs, & dependentem pylulam fluentibus pẽsilibusque filis habens, quæ Prætoribus atque Præfectis suis, per quos omnem imperij administrationem diuisis Prouincijs tuebantur, veluti sigillum atque insigne donatæ Præfecturæ atque authoritatis tradebant, in quo tanta relucebat maiestas, vt vel ad vnius vniuersæ gen-

Successio regni.

Regum Peruuianorum diadema.

sæ gentis supplicium atque excidium missis, (licet nullas ad manum copias haberent) simulac regij diadematis filum ostendissent, simul omnes haud inuitè, vel ad subeundam mortem parerent. Inter hos longa posterita te succedens Gynacaua (quod diuitijs florentem iuuenem significat) belli gloria vniuersam Peruuiam nominis sui fama compleuit. Is enim ante omnes longissimè imperij finibus propagatis, Quitonicum regnum in Prouinciam redegit, & rudem ignaramque gentem, ad vitæ politiam abrogata Barbarie redactam ita instituit, vt non suæ modo stirpis regibus præferri, sed nostræ etiam florentissimæ Europæ Principibus comparari æquarique mereatur. Quare pari amore ac gratitudine erga regem permoti indigenæ, vt aliquo officio insigni prosequerentur, quum ille iam è Quitonico domum repetere cogitaret, rem propè infandam atque incredibilẽ aggressi, quia asperrima via intercurreret, & redeuntem regem multis cal lium difficultatibus iactandum scirent, à Quitone in Cusconicum nunc abrupta immo bilium rupium mole, nunc leuigata eadem

Gynacaua rex.

Viæ strate.

æquataque, nunc derasis montium altissimorum cacuminibus, nunc profundissimis vallibus obrutis, incredibili miraculo per quingenta passuum millia perpetuam viam mõtani tractus æquarunt. Pari labore maritimam viam alteram strauere, dũ Gynacæa illac ad repetendam Quitonem iter intenderet, dispositis vnius diei itineris interuallo palatijs, quæ nocturno hospicio regem exciperent. Proficiscentem stirpe ac fide præstantissimi heroes in lectica, aureo tabulato constrata, humeris ferebant, in summa, ea erat obseruantia, vt vultum eius intueri maximè inciuile putarent, & inter baiulos, quicunque vel leuiter pede offenso hæsitaret, è vestigio interficerent. Hic non præclaram bellicæ virtutis memoriam modo reliquit, sed in suos etiam Diuos beneuolus, ac liberalis maximæ pietatis famam sibi parauit, quum Cuscone Solis templum muris, tectisque auro egregiè incrustatis, ac laquearibus bracteis operosis ornatis mirificè decorarit. Sedentis sella erat latissima, lamina solido ex auro constans, cuius delectatione vsque adeo tenebatur, vt nõ aureis modo emblematis palatia, ac tem-

Gynacauæ Regis obseruantia.

ac templa portentoso sumptu instrueret, verum sibi, cùm filius nasceretur, aureum rudentem eius ponderis faceret, vt vix homines ducenti sublatum humeris sustinere possent: quamobrem ad tãti cimelij perpetuam memoriam filium Guascarem ab eo rudente denominauit. Hic autem, vbi Quitonicum regnum suæ ditioni adiunxisset, multum diuque ob loci amœnitatem ibi permansit, relictis Cuscone liberis tribus Guascare, Mangone, ac Paulo, qui omnes regiam Ingæ nomenclaturam gerebant, quæ vox eodem modo isthic regũ est titulo perculiaris, quo Cæsarum nostrorum Augusti. Gynacaua cum multo hic tempore hæreret, alteram sibi vxorẽ asciuit, vnde Atabalibam suscepit: postea Cusconem reuersum, cum isthic aliquandiu egisset, iterum Quitonis ac filij Atabalibæ, quem præ cæteris charissimũ habebat, inuisendi incessit cupido, profectusque maritima, de qua diximus, via, vbi hic, alterius filij conspectu sese oblectãs, satis longo tempore permãsisset, legato Atabalibæ regno Quitonico vita excessit. Ille cõfestim, patre defuncto, missis ad Guascarem legatis literisque

Guascar Gynacaua regis filius ab aureo rudente dictus.

Atabalibas Gynacauæ filius.

Gynacauæ mors, & Atabalibæ postulata ab fratre Guascare.

que rem omnem aperit, & de patris casu certiorem facit, rogat itaque vt eius pace atq; consensu sibi ligatum paterno testamento regnum Quitonicum, & extra Cusconici imperij limites situm, longæq; successionis iure sibi quodāmodo debitū, liceat obtinere, ita omne studium & perpetuæ obsequentiæ singulare officiū deferēs atq; promittēs. At Guascar fraternam petitionem abominatus, qua paterni laboris ac gloriæ fructu astuta simulatione sē extrudi intelligebat, negat id fieri sine suo ingenti incommodo posse, verùm si concepta cupidine liberaliter discedere vellet, in eius detrimenti compensationem alia loca se daturum, cum infinitis diuitiarū thesauris pollicetur, quibus in alta securæ vitæ tranquillitate regij splendoris amplitudinem tueri posset, sin quo auara spes traheret, contumacius aspirare pergeret, tum se infesto confestim exercitu aduenturum, vt dira populatione atque cæde de ipso veluti hoste supplicium sumat, feroci denunciatione minatur. Cùm Atabalibas tam importuno responso suam humilitatem pensari videret, de re tota cū Calicuchima ac Quisquis, quos

Guascaris ad postulata Atabalibæ responsum.

quos intimos habebat consultores, deliberat. Hi concitato sponte flammas addentes persuadent, quũ talis denunciatio, quid Guascar mente agitaret, satis præ se ferret, tempus non vltra orando altercandóue aut verbis extrahendum esse, sed inopinata celeritate præoccupandum hostilem conatum, ferrum qui strinxerit primus, ei victoriam fore, maiusque ad cogendum pro arbitrio alterum habiturum momentum, nihil autem ad victoriam esse expeditius, quàm hostem in suo velut conatu opprimere, dum illum adhuc obiectæ difficultates, et iactata suorũ consilia, distineant. His instigationibus ferox adolescens inductus, statim cum expeditis copijs egreditur, redactisque in potestatem locis vltra centum leucas ad Tumibambam processit, Guascar qui iamdudum preceptа exercitum contra duxerat, castra aduersa habebat, & re demum ad prælium redacta, tribus continenter diebus atrociſsimè dimicatũ est, sed quũ multitudine Guascar superior esset, Atabalibas magna parte militũ Principumq; amissa, qui circa illum memorabili morte dimicando ciderãt, viuus in

Atabalibæ in fratrem Guascarem bellum.

Atabalibas capitur, sed è carcere erumpit.

pote-

potestatem venit, certumque erat non eius modo in prælij gloriã, sed ad belli summam, & perpetuam Atabalibæ seruitutem profectum fuisse, ni & insolentia vulgaris in fortunam proterua, pulcherrimam rei conficiendæ occasionem corrupisset. Atabalibas enim dum Guascariani cantu frequente, & multa potatione perceptam victoriam prosequuntur, ipse muro effracto effugit, & eadẽ fœlicitate saluus Quitonem redit, totusque iterum ad vires instaurandas versus, vt acceptæ cladis consternationem eleuaret, et melioris fortunæ spem faceret, se à patre Gynacaua effectum serpentem per rimulam è carceribus erepsisse ementiebatur, ac promittebat idcirco certam victoriam, si non deiectis omnino animis ad prælium eluendamque acceptæ turpitudinis labem, industria fortunam correcturi iterum festinarent: quibus vel vanis ludibrijs, leuibusque promissis apud gentẽ credendo facilẽ valentibus quum partim ex veteribus, partim ex recentibus militibus copias restituisset, incredili celeritate aggressus primum Guascaris exercitum commisso prælio fudit, ac fortunam sequens

Atabalibæ astus.

quens in Cusconicum tendit, ac primum atrociſsima crudelitate Canares populos vindicans, fertur ad ſexaginta hominum millia interfeciſſe, & eorum vrbi Tumibambæ illi cladis prioris triſti abominabiliq; memoria infami miſerabili vaſtatione celebre teſtimonium odij concepti, tracundiæq; reliquit, deinde Tumbæum progreſſus, obiectã huic inſulam Punam aggredi cogitabat, ſed quum innumerabilibus copijs inſtare Guaſcarẽ conſtante fama, & certioribus explorationibus didiciſſet, cæpto inſtitit itineri, audiensque hoſtem ad Caſſamalcam ſedere, quinque millia hominum cum ſtrenuis Ducibus ad loca exploranda, & certius quiddã de hoſtium numero, ſede, ac caſtrorũ ordine cognoſcendum emittit. Hi vbi prope hoſtilem exercitum venisſent, quo latentiores accederent, in alterius viæ diuerticulum ſecedunt, & fortè accidit vt Guaſcar, quo ſe è caſtrenſi ſtrepitu amæna expiatione reficeret, iſthuc progreſſus cum octingentis occurreret: nec mora, illi conſpectum circumſiſtunt hoſtem, & nihil audientem Guaſcarem capiunt: forte huius rei tumultus verius, quam nuncius pau-

Puna

Guaſcar Atabalipa capitur

paucorum fuga, qui emersisse potuerant, defertur in castra, statimq; ad eam capti regis famam hinc stupore perculsi, inde Principis deserendi pudore accesi clamore sublato censere omnes Ingæ, ac commilitonibus à paucis hostibus circumuentis subueniundum esse prius quàm in miserrimam seruitutem abducantur. Ita agmine circumducto, ne quacunque hostis iret via, falleret, profecti Atabalibanos cingunt, iamque in omnium necem ferra micabant, & ingens reposcentium regem cum infesta denunciatione clamor tantum terrorem incusserat, vt vix illi contrà ordines ac coronam moliri auderent, quum in eo suorum pauore, & media iam in morte anxij Duces Atabalibam præsentaneo consilio inito Guascarem circumsistunt, & horum vnus stricto inuadens ferro, terribili voce increpat, testatusque Solem Lunamque, ac Terram matrem se mucronem per pectus ita traiecturum minatur, si amoliri suos vel momento cunctaretur. Ibi Guascarem intercipiendæ libertatis spem, & præsentis necis metum exæstuantem, atque hinc si facesserе suos iuberet, tristissimæ captiuitatis miseriasAtabalibanorũ præsens animus & cõfidentia.

rias reputantem, inde, si non iuberet, certissimum exitium pertimescentem, tantus repente stupor cœpit, vt vix verbum proloqui posset, sed quum vrgerent illi, & horribili spectaculo mucronibus fulminarent, vitam omnibus potiorem rebus habens per iudicem vehementi obsecratione suos obtestatur, vt cœpto desistant, facessantque declaratis in se animis æquè periniquam fortunam ferentes, ne grauius tumultuando, quem seruare conterentur, irritatis hostibus omnino perderet: atque ita miser abeuntibus suis abstractus est in certa victoria victus & captus: qua Ducum suorum cognita fortuna Atabalibas Cassamalcam in suum aduentum deportari iussit, vbi se expectari volebat: quod ipsum non ignorantes Guascariani, vt periculum maturo discessu vitarent, postquam omnem suam operam regis liberationi inutilem atque præclusam viderent, dissolutis copijs vagi dispersique in varias partes pro se quisq; omnes domum ante hostis aduentum discesserè.

FINIS.

Pizarrus in Punam insulam traijcit, & prælíola ibi aliquot cum Barbaris facit, quibus victis fusisq; Tumbæum redit, vicinos regulos ad pacem sollicitat, sed cùm nihil verbis proficeret, in eorum castra irrupit: deinde ab Guascare per legatos sollicitatus in Atabalibam pergit, & cõmisso ad Cassamalcam prælio Equitum maximè virtute eum vincit & capit, dehinc maxima auri atque argenti vi contracta ex Atabalibæ redemptione Ferdinandum ad Cæsarem cum grandi summa mittit: dehinc exorta militum turba Atabaliba interfecto, Cusconem procedit, & fugato Quisqui, & Paulo Inga deuicto, eam capit: postremo Benalcazaré ad Tangaranam Prouinciam mittit, qui suscepto in Ruminaxem bello eum fugere cogit, & Quitone potitur.

LEVI-

LEVINI APOLLONII GANDOBRVGANI DE REBVS IN PERVVIA GESTIS.

LIBER II.

HIc fraterni dissidij casus Hispanorum aduentum excepit, qui sicuti multis terris ad suã perniciem fatalis fuit, ita destinato Superorum fato ad nouum imperium, & ab longa ethnicæ cæcitatis caligine ad Christiani Euanglij lucẽ hanc Prouinciam atque incolas deuocante, Pizarro in ipso paratissimæ occasionis articulo appellenti promptissima opportunitate ad occupandum imperium facilem viam subiecit. Is ab Coaccijs ad Portum Veterem (sicuti dictũ est) progressus, cõstitutis ibi rebus, quum celerrimè eo ex loco peculiari verrucarum humana ora dira serpigine incessentium contagio abigeretur, Tumbæum processit, atque in obiectam huic insulam Punam traiecit. Ea ducis aquæ, et piscium ferarumq; copia adue- Puna insula.

nis hospitalis, incolas habet eruditis ingenijs artificiosos, & natiua virtute, qua Tumbæum quondam expugnatum euastarunt, obiectis sibi littorum accolis formidabiles, maximeq; nauigandi arte præstãtes. Nauigant enim lignis duobus tignis supertabulatis, quæ numero imparia, & sibi non æqua longitudine, mediumq; habentia cæteris prominentius palmæ explicatæ diductæque, in qua digitorum longitudo non sibi respondet, formã exprimunt. Huic contignatorum lignorum basi, ne elati fluctus assultu sedentes perstringant, asserum tabulatio superstruitur, tantæ interdum firmitudinis atque capacitatis, vt ea vel solo funium connexu iuncta compages equos perferat, & amplius quinquaginta vectores traducendos accipiat: acciditque nonnunquam, vt cum in ea nauigia Hispani essent admissi, Barbari his semper ex occulto infesti atque insidiosi, quo, in suas velati casses redactos, tuto & quodammodo per iocum voluptatemq; perderent, tigna compacta clam dissolutis funium vinculis disiungerent, eaq; ratione nostri repentè fluctibus hausti miserabili morte perirẽt, illi verò vel natandi

Nauigia Punensiũ.

Fraus & astus Punensium ad opprimendos Hisp.

natãdi sciẽtia, vel in ipsa tigna agili trã-
uolatu euaderent magno spectandi gaudio,
& cachinnorum etiam strepitu miserandam
nostrorum in medijs fluctibus laborantium
ac morientium fortunam prosequentes. Eo-
dem quo Peruuini genere armorum vtun-
tur, & vnde ingeniorum elationem agnosce-
re licet, Dynastam habent, vel in tãtulæ in-
sulæ terra regia stemmata nominaque fa-
stuoso titulo præferentem, cunctisque magno
cum metu obseruantiaque omnium imperan-
tem, quem eo tempore, quo aduenere primum
Hispani, tanta suspicioſi animi zelotypia
deflagrasse prodũt, vt spadones, semimaresque
eunuchos, quos ad muliebria officia serui
tiaq; concubinis gynecæorũ septis semper in-
clusis adiunxerat, ad omnem penitus vim al
licienti formæ, libidinique subtrahendã de-
formiter naso atque virilibus spoliaret, qui-
bus non multum ferè oris deformitate ce-
dunt obiecti huic insulæ littoris accolæ, qui
offenso Peruuiæ rege supplicij nomine supe-
rioribus gelasinis dentibus priuati, manante
ad liberorum posteritatem pœna, turpem, de-
crepitorum senum instar, edentularum gin-

Zelotypia incredibilis

giuarum aſpectum alloquentibus obijciunt. In inſulam prius quam Pizarrus traijceret, Barbari externã aduenarum colluuiem perlibẽter quidem, prius quam audacius inſueſceret, & maiore appellentium numero augeretur, procul expulſam euerſámue cupientes, vbi nihil ſe vero marte poſſe viderent, grauiſſimeque non iam pyraticis myoparonibus infeſtari ab hac littus, ſed valida manu Prouinciam ſubigi atque occupari triſtia grauioris ſeruitutis præſagia ominantes dolerent, Hiſpanos in ſua nauigia receptos, diſſolutis ſubitò tignis, nota fraude demergendi conſilium propoſuerant, facinusq;, vti cõceptum erat, haud dubiè perfeciſſent, ni cognito forte dolo Pizarrus oẽs diſtrictis gladijs intentiſſimè remiges obſeruare iubens ſingulari ea induſtria deterritos inſtituto abſtinere compuliſſet. Tum quoq; in inſulam vt peruentum fuit, fallaciſſimæ gentis inſidijs eſt propè circumuentus. Copijs proximo in loco abditis, irruptioneq; in ſequentem nactem deſtinata oratores ad Pizarrũ veniũt Inſulani, laudata eius virtute benignitateq; in omnes & clementia, memorãtes amicitiã

Inſidiæ Barbarorum ab Pizarro induſtria vitatæ.

malle

malle quàm vim experiri Hispanorũ, itaq; quæ vellet, vel hospitio exhibendo, vel commeatu impartiũdo, vel alia quauis re, perlibenter imperata facturos. Pizarrus syncerè secum agi ratus, maximeque ab ea opinione disiũctus, qua tantũ fraudis in rudibus Noui orbis ingenijs augurari posset, gratijs actis collaudatos benigno responso dimittit: verùm haud multo post, vbi explorando rem certius cognouit, educto agmine incautis inopinato aduolans magna cæde in sua fraude concidit, quibus deletis fusisque insulam longè lateque populabundus percurrit: interea Barbari ratibus suis adnauigantes lembos nostros, nautasque ac milites his præsidio cũ Consaluo Pizarro relictos adoriri vndiq; & premere, nec vlla suorum magno numero cadentium cæde, aut sclopettorum boatu deterreri nullum vel modum vel finem vexando imponentes, eoque Hispani iam perducti erant, vt, vulnerato in fœmore grauiter ipso Consaluo, & quotidianarum contentionum assiduitate plerisque fatigatis sauciatisque, non dubiam cladem accepturi essent, quum missus à Pizarro subsidiariorum manipu-

Consaluus Pizarri frater vulneratus.

lus in tempore superuenit, cuius aduentu plurimis interfectis Barbarorum oppugnationes sunt repressæ, & nostri metu periculoque exempti. Nec multò post Pizarrus, quum leue ad totius belli momentum esse duceret, diutius vnius insulæ incolis perdomandis inhærere, & suam existimationem ea mora minuere, atque ipsam super hæc iusulam infecto aëre perniciosam tædio atque grauedine militum corpora onerare videret, Tumbæum reuersus est. Prius quam in continentem reueheretur ad inescandos incolarum animos, & noui beneficij gratiam colligendam, Peruuinos sexcentos in vinculo ab Insulanis coniectos carceribus liberatos vnà cum tribus Hispanis præmiserat, qui simulac in continentẽ peruenere beneficij et humanitatis nescij Barbara superstitione veluti receptæ libertatis hostias damnatis Dijs suis immolarũt, idem Ferdinando Soto facturi, qui nauigio cum captiuis aliquot in aduersum iã amnẽ Tumbæo vicinum longè fuerat prouectus, ni maturrimè ab Didaco Aquerio, ac Rodorico Lo

Reguli Tumbæi in Pizarrum.

sannio edoctus reflexo cursu celeriter receptui consuluisset. Cæteri omnes incolæ, Regulis aduocan-

aduocantibus, inter eas Pizarri in insula permanentis moras tempus nacti, cum armis familijsque ad montes magno concursu profugerant, quum vel nulla benignitatis ac munificentiæ ostentatæ humanitate exorabiles Reguli ad libertatem fortunasque tuendas, & externæ gentis vi sese insinuantis iugum procul armis dextrisque amoliundum animos cõtumaci iudicio adiecissent. Ea res plurimum Pizarri celeritatem demorata est, cui sine Barbarorum ope ex nauigijs illis manipulos suos exponere perdifficile erat, quod nauigia spondis forisque proterentium hominum, æquorumque põdere fatiscentibus persæpe lateror sum præcipitarent. Per summas has difficultates tandẽ copijs expositis Tumbæum processit, statimque in varias partes nuncios ac Legatos ad Barbarorum Principes misit, qui larga omnis clementiæ ac bonitatis pollicitatione ad deponendũ metum, colloquia conferenda, & armis omissis fidem amicitiamq; sociandam timentes diffidentesque prouocarẽt. Sed vel summa pacificarum denunciationum ac promissorũ vis apud exterorum perosos, & inuolandæ libertatis ma

ximè tenaces nihil valere potuit, quòd præter hæc (quibusdam editis in victos exemplis crudelitati proximis) ineuſſam, & altè magno metu inſidentem de Hiſpanorum fide dubitationem timidi ac ſuſpicaces, ſibiq́ue qui contingere poſſent, caſus alieno euentu non inſulsè penſantes gererent: qua de cauſſa nuncijs ac Legatis vnà cũ promiſsis omnino reiectis nihil ad aures metu ac cæca ſuſpicione concluſas admittebant, verum ex inſidijs perpetuo noxij commeatum quærentes, ab cæterisq́ue incautius progreſſos repentina incurſione circũuentos, opprimebant: cuius pertinaciæ contumeliæq́ue iuſto Pizarrus dolore concitatus clam Chiram amnem quinquaginta equites ſub veſpertinum crepuſculum traduxit, propè quem Barbari in aduerſa ripa magno numero conſederant, celeriterq́ue inde per aſperas montium ac dumetorũ anguſtias noctu profectus, ſub auroram hoſtium caſtra irrupit, Barbarosq́ue tumultuariè ac meticulosè (vti in inexpectato malo accidit) pugnã excipientes diſiecit, nec vlla belli inferenda clade temperauit, tantiſper, dum tantæ calamitatis incurſu feſſi Dynaſtæ Legatos

Pizarrus Tumbæi regulos deuincit.

gatos de pace cum aureis argenteisque muneribus ad Pizarrum mitterent. Is virtutis successus vicinos Tãgaranæ Prouinciæ Regulos ad amicitiam societatemque ineundam adduxit, quorum missos ad se Legatos Pizarrus ea tractandi affandique humanitate comprehendit, vt Barbaros rudes & faciles ab sua inscitia alienarum virtutum admiratores voluptuarijs accõmodissimi ingenij philtris in suam admirationem penitus traductos non difficulter firmissimis veræ pacis fœderisque vinculis sibi astringeret. Ex eo loco triginta mille passus progressum Guascaris (qui tum in Atabalibianorum potestatem nondum deuenerat) Legati adiere, qui splẽdida oratione appellato fœlicem in Prouinciam aduentum gratulati postulabãt, vt Atabalibam infræni cupiditate fratri rebellẽ, et per omne confidentiæ perfidiæque nefas nullo aut humanæ rationis, aut vinculi naturalis iure expenso, scelerate digressantem prohiberet, & Guascarem genuinum parentis secũdum leges hæredem, publico etiam in consilio virtutis commendatione regẽ appellatum coronatumque, & commisso præ-

Guascaris Legati ad Pizarrum.

lio

lio fortunæ iudicio imperium obtinentẽ defendendum ſuſciperet. Quod ſi ipſe eadẽ virtute, qua nunc extremos ferè terminos Peruuiæ ſuo rumore tranſgreſſa primum in Prouinciam adit-ũ ſibi peperiſſet, vindicata immanis perfidiæ iniuria, deuictoque hoſte, quem violatæ naturæ ac rationis leges in pœnas iamdudum vocarent, Guaſcari imperium iure ac Marte aſſignatum fœlici ſua opera conſeruaret ac ſtabiliret, illum tanti beneficij memoriã, & eius tutelæ nomen perpetuo cultu ac fide religioſiſſimè veneraturum, nec omnino enerui ſimilis beneficij talione remenſurum. Id vero non tam ipſi Pizarro priuatim honorificum, & ad beneficentiæ famam ſplendidiſſimum fore, quam publicè cunctis Hiſpanis ad occupata obtinenda, totiusque Prouinciæ vſum vtile atq; tutum, quando Atabalibas, ſi Guaſcarem deuiciſſet, ab furioſi ingenij veſana vſurpandi imperij cæcitate ſuperbiaque minimè Hiſpanos externam gentem atque inauditã Prouinciæ limitibus intricari atque inueteraſcere, & potẽtia opibusque ſenſim augeri paſſurus rerum & humanorum ingeniorum peritis

ritis, haud iniuria videri queat. Hæc disertissimè dicta Pizarrum fortunam ad vniuersum imperium inuitantem, & si modo eidem Duci deprompta vegeti spiritus alacritate audaciaq; egregium facinus committere non dubitaret, ad illud optima occasione patentissimam viam ante pedes sternentem nõ illibenter agnoscentem nullo negotio eo perpulêre, vt Guascaris preces ad animum admitteret, ac Legatis polliceretur festino suo aduentu intellecturum breui Regem non frigidam ipsius causſæ rationem ac curam esſe ſuſceptam. His eo reſponſo dimiſſis Ferdinandum fratrem Tumbæum remiſit, vt milites, qui iſthic adhuc hærebant, properè adduceret, ipſe iuxta Chiram amnem in Tangaranæ agro ad Michaêliam vrbem excolendam ſe conuertit, quo venientibus Panamaide nauibus fidelis portus tuti commodique receptus eſſet, ac paucis diebus hac occupatione conſumptis, & auri argentique copia diſpertita, poſtquã milites præſcriptos Tumbæo, Ferdinãdus adduxiſſet, veteres tantum incolas in noua vrbe relinquês Caſſamalcam aduerſus Atabalibam, quem iam eo peruemiſſe

Pizarrus in Atabalibam iter Cassamalcam intendit.

nisse capto Guascare audierat, per Motupiæ nam solitudinem (cuius proximo libro meminimus) iter intendit. In ea profectione quid per deserta incultaque eunti loca, vbi præter mutos campos, nihil siti famique perferendæ vtile occurrebat, fuerit patiundum dici non potest, certè par ei labor æstimari potest, quẽ Alexandrum Macedonem in solitudine ad Ammonis oraculum contendentem cum exercitu subijsse in sua historia meminit Curtius. Sed vbi ad ipsam vrbem Motupiam in frugifera & optimè habitata valle sitam peruentum fuit, magna repentè copia auidis omnibus famis sitisque saturandæ desyderia explendi fuit oblata. Vbi hic paucos dies militibus reficiẽdis Pizarrus transegisset, hinc ad montanæ regionis limen progressus oratorem Atabalîbæ obuiam habuit, qui calceos duos picturatos, aureasque armillas deferẽs, adijciebat hæc opere & nouitate quam precio spectatiora non regij muneris loco, sed ea ratione ab Atabalîba donari, vt, quum in ipsius conspectum his indutus veniret, per ea signa ipsius personæ maiestas noscitari posset. Regem enim vsque adeo solida æquitatis ac

Orator Atabalibæ ad Pizarrum.

rationis

rationis conceptæ fiducia fretũ esse, vt cum ipso in colloquium deuenire, & disertè suã iuris causſas, quibus hæreditatem paternam postulandam, & ipso deniq; Marte repetendam sibi putasset, explicare non abnuat ipsum dijudicandæ litis arbitrum minimè recusaturus, nisi redacto in prius victi & capti potestatẽ Guascare belli sors certo Deorum immortalium beneficio directa non obscuro adiudicatæ æquitatis iudicio rem diremisset. Pizarrus hilari sereni oris aspectu oblatum munus accepit, & laudata Atabalibæ voluntate oratorem blandissimis verbis permulsit, regiq; hæc suo referre iussit: nullam esse causſam, cur metum aliquem insida dubitatione concitatum ex suo aduentu sibi concipiendum putaret, amicum se, non hostem atro in ipsum liuore atque ira percitum aduentare, nec sibi quicquam ab omni cogitatione alienius atque remotius esse, quam sæuo voluntarij furoris aculeo concitante, hos iniuria ac clade affligere, quorum in se voluntates, nullis adhuc sollicitationibus pertentatas, fuisset expertus. Quid enim immanius & Christianæ religionis cognitione imbu-

Pizarri ad Atabalibæ oratorẽ responsum.

imbuto indignius quam ob præmatura maleuoli iudicij iniquitate petita sæuitiæ explorata incertaque suspensorum hominum studia vltro sibi prærupta spe de industria præuertere? Non sibi modo certum esse, quantum liceret, gladio & sanguini humano parcere, omnique malorum calamitate infligenda abstinere, modò ipse præcipiti auaritiæ gradu ruens, eius nullam occasionem excitaret, verum ipsum Carolum supremum Europæ Cæsarem, & Hispaniarum regem (cuius ipse auspicijs rem administret) id vnum sua maiestate dignum atque laudabile iudicare, neminem aliqua prioris iniuriæ prouocatione lacessere, eosque imprimis intemeratos relinquere ac tueri, qui deposito vanarum mentium tumore moderati sub protecturas eius fidißimæ clientelæ alas se recipere atque recondere non grauarentur. Ita dimissum Legatum, nec temerè credendo, nec aspernando, agmine semper instructo, & in omnes casus cõposito incedens celeriter est sequutus. Nam boni Ducis officium esse prudenter iudicabat, non præsentem modò hostem aperta acie propulsare, sed nec effusè populando, nec inexplora-

exploratis in locis castra ponendo diligenter cauere, ne per promissorum simulationem, oborta suorum securitate incuriaque, fallenti hosti bonæ fortunæ occasio pateret. Ad Cassamalcã vbi peruenit, regius fœcialis ad eum accessit Regis illi nomine mandans, ne absque Atabalibæ consensu eo in loco sibi hospitium desumeret, sed Pizarrus non dato ad id responso, castrisque accuratè per dispositas militum stationes munitis, Sotum ad hostes cum viginti equitibus misit, vt indicato suo aduentu, colloquioque collato, Regis mille passus inde considentis voluntatem, an pacem, an bellum mallet, certius intelligeret. Huc enim solerti ratione destinatum animi consilium intenderat, vt vel pacifica conditionum compositione Cæsaris clientelæ Regem beneficiario iure affectum subiungeret, vel, si virium fastu tumidus & Hispanorum paucitate proteruus reiecta salutarium pactionum quiete supremum Martis euentum experiri constituisset, tunc (quando vel innumerabili multitudine Barbaros prorũpentes equitum conspectum, & insuetũ Sclopettorum boatum minimè toleraturos iam

Alter ad Pizarrum legatus.

ex frequentibus prælijs egregiè perspexisset) vnico & breui pugnæ discrimine vniuersam sibi regionem victorem haud dubiè pariturum ruinæ sequuturam astrueret. Sotus equites q̃, cùm ad hostiũ castra prouecti paulò concitatiore cursu procurrerent, tantum inter Barbaros quidã ruituros modò in sua corpora equos rati, terrorem hausêre, vt fugæ ex currentium conspectu se proriperent, quos Rex, vt eo exẽplo alijs aut ipsum metũ, aut metus ostentationem demeret, è vestigio interfici iussit. At Sotum venientem Atabalibas regiæ Maiestatis haud ignarus, & eandem apprimè temperatæ seueri vultus grauitate repræsentans, vti tantum inferioris nominis Ducem, & sua comparatione indignum alloquio minimè dignatus est, sed Pizarri postulatis graui aure exceptis per Purpuratum, atque hic per interpretem sententiam explicabat. Vbi vero post Sotũ missus Ferdinãdus Pizarri frater aduenit, tũc interprete mutua verba explicante ad sermonem remissiore fronte se dedit. Ferdinandus paucis verbis mandata explicuit: Cæsaris atque Hispaniarum Regis auspicijs huc Fran-

Barbari equorũ conspectum fugiunt.

Ferdinandi Pizarri & Atabalibæ colloquium.

Franciſcum Pizarrum aduenisse, cupereque cum ipso colloquium atque amicitiam sociare. Quod si regiæ benignitatis humanitate, & amico complexu venientem excipere, & syncero colloquio honestæ pacis ac quietis cõditiones pertractare mallet, tum ipsi imprimis salutare, tum cunctis Peruuini nominis ad fortunarum conseruationẽ & mirificam vtilitatem, egregia Hispanæ gentis coniunctione, maximè expeditum fore: sin inani virium fiducia, & fauentis fortunæ spe inflatus, præferoci contumacia vti, & rem omnem belli euentu definire vellet, vtique Pizarrum necessitati vel inuitè parentem miserum quidem, sed non inane posteris exemplum facturum, vt sibi Reges sapere potius discant, nec vana tumidi pectoris ferocia duci ac præcipitari, quam decora & salutaria tranquillitatis consilia amplecti malint. Ad hæc Barbarus, eam esse supremam concordiæ ineundæ conditionem respondit, si quodcunque Pizarrus intra Peruuinos terminos incolis auri atque argenti abstulisset, integrè restitueret, nullaq; mora ijs locis excederet, ac tum licere vt latius de rebus cæteris

ſecum diſceptaturus Caſſamalcanam in regiam ad colloquium veniat. Ita Ferdinandus (qui diutius excuſando monendoq; colloquium extraxerat, vt commodius interea exercitum ordinemq; Barbarorum contemplaretur) infecta re dimiſſus certamen renunciat, plurimaq; de hoſtium caſtris, ordinibus, ac multitudine commemorans, haud obſcura indubij metus ſigna dedit. Verũ milites, vti interritos et inuictos animos rerum abs ſe geſtarum magnitudine confirmati gerebant, ita totam ſpem in diuinam opẽ, ſuaſque dextras conferre, ſeſe mutuo cohortari, intrepide arma ad diurnam pugnam inſtruere, & ſatius meliusq; ducere digna priſtinis factis morte inter arma perire, quàm veterem exiſtimationem, partamq; bellicæ laudis gloriam turpiter cedendo amittere. Ipſe Pizarrus vix ad neceſſitatem quietis ſumpto, & alijs dato tempore inſomnem ferè noctem egit, mente omni in inſtans prælium, in aciemq; intenta cogitando, in quã primum partem equitem peditémue obuerteret. Sollicitam noctem grauiore cura ac tumultu lux excepit, nam tum & corpora curanda, & ar-

Hiſpanorũ alacritas.

& arma rapienda erant, Ducibus instruendæ acies, adhortandi milites. Equites erant numero sexaginta, in quibus haud dubiè omnis terrendi spes erat, hos Pizarrus abdito in loco fratribus ducibus considere iubet, vt cùm opus sit procellam equestrem inopinatò immittant. Ipse ducendum peditem suscipiens in altera parte constitit, & inter obeundũ exhortandumq;, Viri, inquit, quos nulla rerum aduersitas fregit, tot votis exoptatus inuocatusq; aduenit dies, qui fortuna Duce victoriam forti dextera appetentibus Peruuini regni imperium intra paucas horas assignabit. Quapropter tantò plus vehementiæ constantiæq; animo ac corpori quisq; adiungat, quantò propiorem laborum finem, et paratiores virtutis ostentatæ fructus ex vnica hac pugna expectat, aut sibi præsagit. Audacia enim humano ingenio ausuq; excelsior, calcatæ deuictæq; incogniti Oceani semitæ, superata rerum natura, iam nulla nobis profecto sunt, imò collecta earum propè incredibilium rerum fama non modo cum suprema promeritæ laudis iactura in tenues auras euanescet, sed, quod nemini miserum at-

Pizarri oratio ad milites.

que pudendum esse non potest, modò inauditæ virtutis, & tantum non deuictæ mortalitatis summa claritudine atque admiratione celebratis, nunc diro peruersi vulgi iudicio stultæ temeritatis, adeoq; insaniæ abominabilem cum perpetua nostræ posteritatis labe, cunctis nostri nominis notam inuret, nisi pristinè pectora corporaq; vi indegenere virtute respondeant. Pessimè enim, quibus inusitata tentandi audax natura confidentiam suggessit, virorum fortũ ratio ab ancipitis fortunæ successu dependet, quorum tum demum virtus laudem offendit, quum fortuitæ fœlicitatis prosper casus adiuuerit, qui vero si fallat, indigna agrestis vulgi censura in temeritatis infamiam incurrit. Ergò qua virtute superioribus annis tot aduersi maris tẽpestates, eas famis sitisq; angustias, quæ vel cogitatione expendentibus intolerandæ videri queãt, fortissimè obdurati deuicimus, eadem nunc incumbendum est, vt præsentem hunc hostem ad certissimam vniuersæ regionis breui prælio subigẽdæ spem sustineamus, ac propulsemus. Si cum tempestatibus amplius obluctandum, aut simile quiddam subeundum esset,

esset, expertus certè timerem, quia eiusmodi difficultates humana remedia respuũt, solis animis toleranda patienter, nunc cũ rem multo leuissimam, & pro fluctibus ac locis incultis, quæ nauigantes & prætereuntes sua asperitate premebant, nostræ conditionis mortales humanamq; vim pro ineuitabili rerum mutarum tempestate pari vi retundendam adepti simus, haud modo nihil timendi, sed ne dubitãdi quidem causſam tempus adimit. Adhuc ille meis auribus fremitus vester obstrepit, inter eas aliquando procellas iactatus negocium & certamen humanum poscentium, & istiusmodi insuperabiles cum mutis locis pelagiq; vndis concertationes deprecantium, cuius vos imprimis memores esse oportet, ne ex subita quadam magis imbelliũ mentium leuitate, quam ex vera virtutis declarandæ cupiditate profectum appareat. Huius memoria egregiè imbutos, & ob eam præstantissimè dimicantes fortuna non inconstans sæpe virtuti propitiatrix minimè deseret, nec verò quenquam vsq; adeo imbellis fidei esse duco, quin supremi numinis Diuorumq; Christiani nominis tutelarium forti-

ter pugnaturo in summæ pietatis studio aliquam opem sibi destinet. Quod si tenerioris animi quosdam hostium multitudo afficiat, eos ego vsu Martem perdiscere, aut peritioribus belli iudicia relinquere iubeo. Illi solum multitudine tegant, & vt lubet in pugna cœlum clamoribus terreant, vos mihi his dextris corporibusq; non ore, rem agite. Ista quidem tyrones, & mollibus delicatarum ædium tectis assuetos moueant, quibus natura timidis, & vel ad gladij vmbrã horrentibus in fuga salus est, vos, qui iã propè tertium annum sub dio viuitis, inter tot tempestatũ crepitus obdurati, terricula ista mouere poterũt? Clamor inanis turbatio est, multitudo virorum robore carens noxiũ sibi ipsi impedimentum. Quod si narrandis historiarum exemplis vacare magis liberet, quam modò re ipsa ostendere, innumera cogitanti succurrerent, tamen minimè id vos fugere debet, qua paucitate Hispani per cæteras noui orbis partes semper innumerabiles Barbarorum copias fuderint, prostrauerint atque deuicerint, & fracta omnium regum potentia sibi imperium compararint. Non in co-

pijs

pijs Mars, aut bellum multitudine pendet, sed hoc momentum habet, vertere agmẽ, mutare in cornu pugnam, laborantibus expeditè succurrere, & sine turba in promptu sese reposcentibus recipere. Horum omnium quid excita suis sedibus callet turba? in qua plurimi vix ferrum dirigere norunt, ne dicam armorum gerendorum multos esse impotentes. Hanc egóne vobis comparem, qui inter arma ferè senes facti nunc, quicquid à tergo habetis, virtute occupastis? parúmne vero hoc hostium genus experti sumus, qui tot populos ad Chiram amnem iampridem fusos, tot Regulos in fidem acceptos, cuncta subacta, pedibusq; subiecta tutò à tergo respicimus? Sed isthic præruptis petris incultisq; solitudinibus satis sterilia laborũ præmia accepimus, nunc longè melioribus dextras adijciamus, hostium aciem auro argentoq; fulgentẽ prædam nõ arma gestantem intueamur, eamus, & imbellibus fœminis aurũ viri eripiamus. Quid? quod propè Dij cum mortalibus (vos Diui Diuæq; cœlestes pace dicam vestra) pugnaturi sumus? Nam cum ex auditis tormentorum nostrorum bombis tonare fulmi-

nareq́, nos credant, quid aliud ita dicendo opinandoq́ existimare ac fateri possint, quã tonitruantes fulminantesq́ Deos aduersum se pugnaturos? Iam vero nescio quod monstri genus de equite somnient, quum autem heri ne primum quidem equorum conspectum aufugientes pertulerint, an non rutturam primo incursu suo pauore aciem ipsa re ominantur. Nam si pacatos equos timent, quomodo furentes grassantesq́ per strues ac cateruas hominum, quum armatum etiam equitem sua prà micantem videbunt, ferent? Certè ni cæsorum aliquot nostrum equorumq́ interitus mortalitatis indiciũ feciſſet communis, iam nullum hostem haberemus, quia ne castra quidem aduersus ponere cõfidiſſent. Me profectò alta cogitatione nos hostesq́ pensantem summa horum miserorum hominum miseratio subit, qui minimè nobis pares, & tormentorum equorumq́ fluctuantes metu modò lõgè miserabili teterrimæ cædis ruina concident: sed agè sua calamitate discat sanè hic Barbarus imperio nouo, & scelere in fratrẽ crudeliter exercito tumidus Hispanorum vim, quando gratiam societatemq́ experiri noluit.

noluit. Id tũ illius intolerabilis fastus, tum Hispanicæ indolis magnitudo superborum prorsus impatiens, & egregia vltrix, tum captiui Guascaris æquitas iubet, qui indignissimè auito imperio per nefas deiectus, nullam præterquam in vobis spem habet, vestram opem, misericordiam, ac fidem exposcit, vt seruitutem, vt compedibus, vt imminente morte liberetis. Egregium me hercule opus, & inter præmia vestræ victoriæ numerandum facinus, posteritatiq; famæq; tradetis, parricidam impotente insania ad imperium contendentem, & impia rebellione fratri insurgentẽ vos esse vltos, nec tamen antè ad iram vindicandiq; cupidinem descendisse, quam ad hanc vestra pace reiecta necessitas adigeret: qua re conspecta quanto creditis incolas obsequentiores fore, cùm intellexerint sceleratos vos persequi, & nemini nisi sua culpa facto hosti irasci. Non igitur vt metum ponatis hortor, quem omnia detracta discrimina viros fortibus sponte iamdiu exemisse debẽt, sed hoc iubeo, quando amicitiam respuerint, vim virtutemq; vestram experiantur. Hũc Barbarũ ferro sternentes per armatos viam

ante

ante omnes mihi inuadite, ita non ipsum modo superbientem Tyrannũ ad arbitrium adepturi, sed quodcunque cæteris adhuc animi ac virium supererit, breui & facili negotio deiecturi. Quod si cũ paribus ac viris fortibus res gerenda esset, vbi in dubium vocari fortuna posset, adderem, nullam fugam nobis victis patêre, & fortiter hîc contra infideles dimicando pro Christiana religione morientes æterna in cœlis perpetuæ vitæ præmia excipere. Interea Atabalibas, qui et ipse in primã lucẽ certamen edixerat, cum sua innumerabilium copiarum mole in aciem descendit, planeq; designandis ordinibus intentus Ruminaxim spectatæ virtutis Ducem cum quinque millibus tectã vallem clã occupare iussit, vt simulac pugna incœpta esset, auersos hostes adoriretur, &, si in fugã se darẽt, eo agmine exciperet. Ipsum præcipuæ nobilitatis Satrapæ humeris aurea in lectica ferebant, quã trecenti delectæ iuuentutis regijs insignibus conspicui præcedebãt, quibus vias æquandi mundandiq; cura erat. A tergo omnis Purpuratorũ turba sequebatur similiter baiulorum humeris aureis in gestamini-

Atabalibæ insidiæ.

minibus præaltè vecti, tantaq; Barbaros victoriæ fiducia inceſſerat, vt noſtros ſolis manibus debellare rapereq; ſperarent. Priſtinus enim terror equorum, quum nullum equitem viderent, paulò reſederat, & inter Barbaros Duces quidam euulgarat hoſtium ſummam eſſe paucitatẽ, atq; eoſdẽ continentibus profiſciſcendi laboribus vſq; adeo defatigata corpora trahere, vt victis laſſitudine pedibus ſeſuſtinere nõ poſſent, ideoq; ouibus aliquot grãdioris ſtaturæ ad vecturam vterentur, quos equos nominarent. Eius rei credulitate impulſus ipſe Atabalibas, quũ in ſubiectã Caſſamalcæ planiciem progreſſus Hiſpanorum peditum, ſine equite aliquo oculis ſubiectam contemplaretur, ne prodire quidem auſuros credebat, ad ſuosq; conuerſus, Iã, inquit, modo hos noſtra in manu habemus: ad quæ cunctis leui ſubriſu annuentibus venit illuc ad regem Vincentius Valauertus Antiſtes ſacrarum literarum codicem manu tenens, qui de creatione humani generis, lapſu, reſtitutione, baptiſmate, plurimisq; alijs, quæ indubitata fide perſuaſa omnes Chriſtiani nominis habent, ſatis longa oratione habita oſtendit,

Atabalibæ fiducia.

dit, summo Magni Dei beneficio ad intimã eius opinionis fidẽ capessendam Carolum V. supremum Europæ Cæsarem, Castiliæq; ac totius Hispaniæ regẽ huc Prætorẽ suũ Franciscum Pizarrũ legasse, vt vera sanctaq; religione infectus, et sacrosancti baptismatis lauacro ablutus, in cœlestis hæreditatis ius atque partẽ cooptari posset. Quòd si tã suæ salutis, quã publicæ vtilitatis prouida mente memor morigerari, & beneficiario nomine in illius Cæsaris clientelam imperiumq; se dare, et ea ratione ipsius Maiestatẽ venerari vellet, qua plæraq; Christianæ terræ pars veneraretur, illum conseruata ipsius, incolarumq; libertate pacificè alto in ocio legitima æquæ iurisdictionis potestate Prouinciam moderaturum, & ipsum imprimis immortali singularis fidei ac tutelæ beneficio in regia Maiestate potentiaq; viuentem, sicuti alios Reges Principesque dicto audientes consuesset, perpetuo exculturum: sin omnino vim amicitiæ, bellum paci, & veræ religioni idololatricam cæcitatem præponere, ac prælij iudicio priuatæ publicæq; salutis causſam subijcere mallet, Pizarrum ferro atque igne, &

quibus-

quibuscunq; posset bellicarũ ærumnarũ modis, ipsum Prouinciãq; vniuersam secundum ipsius superbiæ merita persequuturũ. Quãobrem in isthoc tantæ occasionis momẽto pro regiæ prudẽtiæ singulari officio cõsideraret, an cum gente inuicta, quæ perpetuo honori, tutelæ, atq; ornamento esse tum ipsi tum cunctæ regioni posset, copulato firmissimè societatis vinculo, in omne posteritatis atq; æui tempus æternæ trãquillitatis initiũ hodierno die auspicari, an suã salutem impræsentiarũ sub incertã dubij discriminis aleã conijcere mallet. Atabalibas hæc & quæ imprimis de nostra religiõe dicebãtur, satis attẽta aure percipiẽs, aduersus ea respõdit, patrẽ Gynacauã omnẽ hanc Prouinciã occupatã hæreditariæ successionis iure filio Guascari reliquisse, nũc ille vbi bello in se cõmoto non iniquas illiberalis auaritiæ pœnas damnante fortuna captiuus dedisset, in suã belli iure potestatẽ cessisse, idcirco earum rerũ, quas Carolũ ac Hispaniarum Regẽ sibi vel ipso nomine incognitum misso Pizarro velle diceret, nullã sibi curã esse, eadẽ ratione nihil quicquam eorũ intelligere, quæ de Christiana religione, quæ

de Chri-

de Christo loqueretur, sed iuxta parentũ consuetudinem atq; institutionẽ neminem præterquã Solem ac Pagacamam Deum agnoscere: simulq; Antistitem rogabat, vnde ista, quæ prædicaret, adferret, & qua ratione noua religione imbui volentẽ doceret, qui cum in eo, quem gereret, codice omnia cõtineri assereret, petit eundem, & donatum vbi in manus accepit, versatis diu vltro citroq; foliis cum risu in solũ abiecit, ne verbum, inquiens, sibi librum fari. Tum ad suos recurrens Antistes. Quid vltrà moramini, inquit, iam tempus, iam contumacia hostiũ in iustas vos pœnas iras q; vocat. Te Deus Christe, vosq; cœlestes precor, quorũ tutela hæc religio semper inuicta stetit, vt ita nobis volentes propitij adsitis, si sanctæ religionis vindicandæ, non aliena rapiundi causa ad hoc certamen descendimus. Intelligens Pizarrus non vltra cunctandum esse, significat fratribus, vt consurgentes cum equitibus irrumpant, ipse cum peditibus primum cornu, in quo Atabalibas versabatur, aggressus est, simulq; eodem momento distinctis turmis coorti equites tripartitò inuadunt, & tormenta eodem tempore

Atabalibas sacrum codicem abijcit.

Pugna ad Cassamalcam.

pore in confertas Barbarorum cateruas dissloduntur. Ibi vero non prælium, sed miserorum hominum longè miserior cædes coorta est: nam ferreis globis momento integras cohortes sterni, & feroces insuper equos instare conspicantes nulli obnixè steterunt, sed cuncti ferè præ metu præcipites in suos conuersi, pro se quisq; obtritu equorum eripere, se contendebant. Ingens tamen certamen circa regis lecticam cõtractum est, quod, quicquid inter Barbaros roboris fuerat, ibi ad supremã opem intentum paratumq; staret, & gestantes baiuli incredibili celeritate succederent, & omnes seruandi magis Regis, quã sui studio incitati circà prõptissimè dimicarent. Igitur Pizarrus metuens ne suis eiusmodi perseuerantia defatigatis Barbari etiam, qui fuga palati erant animos resumere, atque prælium instaurare ad Regem conseruandũ auderent, increpans, & vbique ferè fusos ostendens hostes incumbi atque vrgeri acrius iubet. Ibi propè nouũ certamen recruduit, quũ Hispani lecticam feruidè circũsistentes Barbaros pari constantia se obiectantes, pecorum instar mutuo in sanguine mactarent, illi vero

Barbarorũ constantia & cædes.

rò ſuorum cæde magis igneſcentes conſiſtere pertinaciter, adeſſe Regi, & mori conſtanter minimè formidarent. Ergo plurimis in locis, ſed diuerſo habitu ac facie pugna verſabatur, cunctaq; plena erant horrendo armorum ſonitu, pugnantium clamore, cadentium gemitu, miſerandoq; variantis fortunæ ſpectaculo, quum alibi videre liceret furentium equorum fugientes conſpectum, alibi eorundem metu totis campis ſeſe rapientes agẽtesq;, alibi, præſertim vbi cum peditibus res erat, confidentiſsimè ſtãtes, & multo vlulatu pugnantes. At demum vbi eo modo diu atque acerrimè pugnatum fuit, perrupit obiectos cuneos Hiſpanorum cruenta vis, viaq; per Barbarorum cadauera vel ſtolida in vltimam necem contumacia gradum premẽtium facta, ad Atabalibam peruentũ eſt: Illum in lectica trepidantẽ, & iam triſti circumſpectu tum cædem, tum fugam ſuorũ conſpicientem ante alios primus inuaſit Pizarrus, ſtatimq; promiſſa cæſarie validè apprehenſum deturbare conatur, aliorum tantus incumbentium ac lecticam impetentium ardor fuit, vt protruſis certatim mucronibus

Atabalibas deijcitur et capitur.

Pizar-

Pizarrũ in palma vulnerarent. Ita demum capti, & in solum deiecti regis rumor fausto nostrorum clamore vulgatus, velut omni amissa spe, Barbaros omnes in fugam dedit, fuitq; tanta ruentium vis, vt, dum quisque primum certatim effugiendi locum sibi quærit, miserabili sese mutuo turba, impedientiũ contentione murum Cassamalcanæ areæ latus claudentem, metu vires addente perrum perent. Multo autẽ ante Ruminaxis (quem ad hostiũ terga inuadenda in insidijs ab Atabaliba collocatũ fuisse diximus) auditis tormentorum bombis, quum insuper eos, qui sibi adoriundi signum darent, ab Hispanis deiectos videret, vixdũ pugna incalescente Quitonem iter intendens profugerat. Eques ad noctem vsque tergis fugientium institit, cædemq; dispersorum ingentem patrauit. Postridie vbi prima lux tantæ lætitiæ faciem aperuit, tunc ad spolia discursum fuit, prædamq; auaris incredibilem vel solæ exuuiæ fecerunt: sed quis auri argetiq; copiam etiam operosis artificijs elaboratam oratione complecti possit? Sola Atabalibæ supellex sexaginta aureorum numũm millia superauit:

Ruminaxis.

Ingens præda.

præter hæc amplius quinque millia fœminarum in castris reperta sunt, quæ haud inuitè victoribus se veterum maritorum oblitæ coniunxerunt. Facta præda, & rebus compositis Atabalibas spopondit, si pristina fortuna dignè se Pizarrus acciperet, in redemptionem, præter alia infinita, quadratā suæ longitudini simili altitudine vestibuli aream cælati operis auro complere, quam cum conditionem amplexatus esset tāti promissi admiratione stupescens Pizarrus, ille confestim in omnes partes Cusconemq́, imprimis ad totius Prouinciæ thesauros Cassamalcam comportandos literas nunciosque misit, & quanquam incredibilis auri copia indies in castra deferretur, res tamen perficiundi promissi absurda Hispanis visa est. Iam enim persoluēdæ redemptionis tempus effluxerat, & vel in opulētissima auri regione nemo tamen eam animo copiam concipere poterat, ita vt omnes promissa expleri posse diffiderent non obscura etiam inuidia in Atabalibam ob contumacem fastum, tentatiq́ prælij euentum male animati, & ab ea promissi soluendi cunctatione suspicacibus ingenijs sub-

Atabalibæ promissum

ſubdolum, & minimè rudem, regijsq́; planè artibus inſtructum hominem metuentes. Idcirco ad obmußitationes cõuerſi queruntur, quod præſcriptum deſtinatumq́; redẽptionis ſoluendæ tempus Rex fefelliſſet, & alias aliasq́; moras inferret, tantumq́; inanibus verborum promißis in dies expectantes ſe ludificaretur. Vel procul dubio definitam auri vim, promiſſorum vires ſuperare, & conferri non poſſe, vel ſi poſſet, quorſum iſtam dilationem ſpectare, quam eò, vt ſe conſulta prorogatione deceptos clam interim copijs paratis opprimere, & carceres effringere poſſet? Hæc omnia Atabalibas expiſcatus, magnoque ſalutem ſuam periculo agitari ſat ſciens, vehementer apud Pizarrũ conqueritur vſq; adeo leuem & dubiam in re tutißima fidem haberi, & veluti nodum in ſcirpo de induſtria ab virulentis obtrectatorum quorundam calumnijs conquiri, nempe eum inſulsè ridiculeq́; timendo, qui in ipſorum poteſtate atque arbitrio vinculis conſtrictus ageret. Quod ad tempus lytri precium perſolutum nõ eſſet, certè æquis & rationis capacibus viris non poſſe iuſtam cauſſam videri, cur com

Murmuræ in Atabalibam.

Atabalibæ querela & purgatio.

portandi auri moram iniqua interpretatione in ſubdolas fruſtrationes detorquerent, illam verò nondum vſque adeo longam fuiſſe, vt præproperæ ſuſpicionis dubitationem imbecillis argumentis concipere deberent, quando moderatam in partē omnia accipere volentibus, ſatis conſtare poſſet moram non aliqua in auro conuehendo, diligentiæ intermiſſione, ſed vrbium, & Cuſconis imprimis longiſſimo interuallo fieri, quid verò interesse queat, paucorum mẽſium ſpacium indulgeri in conditionibus non ita anguſtè definitum ſeruari tempus, & earum parum referre, ſi paulò pòſt, quam terminatæ fuerint, expleantur, ſed paciſcentium voluntatem animumq; aduerti, qui ſi ſuæ fidei conſtet, & pactis celerrimè præſtādis pro virili incumbat, quem adeo immanẽ fore, qui vel puſillo tempore, præter id quod deſtinatum fuerit, abſoluendæ fidei deſiderium ferre non poſſit? At ſi omnino diffiderent, negotio non longiore opus fore, quam vt duos ex ſuis Cuſconem Legatos ad inſpiciendum, & omnia ſua præſentia rectius curanda emitterent. Hoc probato conſilio, quanquam periculoſum videbatur

debatur infidæ Barbarorum genti suam salutem credere, mittuntur Ferdinandus Sotus, et Petrus Barus, vt Cusconem proficiscantur. Hi vsitatis in gestaminibus expeditis Barbarorum sexaginta, humeris ferebantur, qui citato semper cursu iter capessebant alijs atq; alijs eodem ferè numero per distincta viarum spacia, sicuti apud nostrates Veredariorum equi solent, succedentibus. Hoc modo itinere dierũ aliquot Cassamalca progressis ab Atabalibianis Ducibus Guascar captiuus in occursum fortè adductus est, cuius vt fortunam, bellicæq; litis initium certius intelligerent, cum eo sermones contulêre. Ibi Guascari auditis Pizarri postulatis facilè annuenti tristi oratione fratris iniuriã deplorare licuit, narrantiq; primæ controuersiæ exordijs, ostendit illum non regnum modò, quod legitimo ac naturali paternæ hæreditatis iure obuenisset, sed ipsam quoq; vitam, & lucem eripere sibi velle. Ea re ipsos se vehementer precari, vt interrupta profectione ad Pizarrum redeant, & illatam sibi iniuriam illi significent, ac suis verbis etiam atque etiam obtestentur, vt, postquam am-

Legati Cusconẽ missi

Legatorũ & Guascaris colloquium.

bobus in ipſius poteſtatem redactis totius Prouinciæ imperium fortuna ipſi ſubieciſſet, habita quæſtione litem dirimere, et æquo iure imperium adiudicare vellet: quod ſi Pizarrus facere non grauaretur, non modo ſe promiſſis Atabalibæ pleniſſimè ſatisfacturũ, ſed regiam Caſſamalcanam ad ſupremũ vſq; tectorum faſtigium ſolido auro cõpleturum, quod quam ſibi in prõptu ſit exequi, ne ipſos forte ignorare, quũ ineffabilem paternorum theſaurorum gazam in manu habeat, quam vero difficile & graue fratri Atabalibæ, vel iſthinc conijci poſſe, quòd ad redemptionẽ præſtandam Solis delubrum Cuſcone ornamentis omnibus ſpoliare inſtitueret. Erant hæc minimè à veritate aliena, ſed omnẽ eam aureorum theſaurorum vim Guaſcar in ipſis belli ortis initijs, ne in fortuito infortunio fratri victori in prædam cederent, magno foſſorum numero occultiſſimè defoderat, ſtatimq;, ne quis id vnquam euulgaret, omnes qui eius rei conſcij fuerant interemerat, ita vt vel maximo fodiendi labore Hiſpani ſcrutantes eoſdem nunquam inuenire potuerint. Verùm Sotus Barusq;, vel quòd his vti ferè incre-

Guaſcaris poſtulata et promiſſa.

incredibilibus infirmam fidem haberent, vel quòd institutum iter omittere, te suæ Legationis cõmissum munus interrumpere haud auderent, negant sibi extemplò redeundi fas esse, sed expeditis Cuscone negotijs simulac reuersi essent, ipsius caussam non vulgari studio cõmendaturos esse pollicentur. Ita quum hi cœptum iter reiecto in reditum Guascare continuarent, hæc procul dubio caussa fuit, quòd Guascar in extremum immaturæ necis casum incurrerit, & Hispani tantis thesaurorum diuitijs exciderint. Festinè enim Atabalibas eo de colloquio per suos clã certior factus cùm esset, facilè periculum suum reputans, si Guascaris postulata ad Pizarrum perferrentur, quòd fratrẽ non modo firmis rationibus inniti sciret, sed Hispanos paulò alieniores à se sentiret, & auri cupiditate deflagrantes in quamcunque partẽ auri potiundi caussa adduci posse sagaci ingenio satis videret, propera fratris morte, prius quam redirent Legati, ei periculo occurrere decreuit: sed vbi tanti facinoris reputatione æstuantem non parum etiam terreret accepta relatu fama, qua Christiana in lege

Atabalibæ versutia & intelligentia.

homicidam ineuitabili certißimæ necis ſupplicio teneri intellexerat, conſtituit ea de re animum Pizarri, quo id affectu laturus eſſet, pertentare. Vultu itaq; ad mœrorẽ compoſito, quum ſæpe lachrymando, & cibo, potu, colloquioq; omni abſtinendo, luctum ſimulantem percunctaretur doloris cauſſam Pizarrus, reſpondit: Ex præfectis ſuis quendã intellecto ſuæ captiuitatis infortunio fratrem Guaſcarem captiuum è medio præcipiti vindictæ ſtudio ſuſtuliſſe, cuius mortem tanto hercule luctu animum ſuum perfudiſſe, quantum fraternæ charitatis ac neceſſitudinis ius poſtularet. Sũmo enim perpetuæ venerationis cultu atque obſeruantia vti fratrem ætate cæteris ſuperiorem, adeoque parentem vnicum ſe coluiſſe, & quanquam bello excitato captiuum in poteſtatem redegerit, non ea mente feciſſe, vt vel morte, vel iniqua totius regni priuatione exitioſam fatalis iræ ipſius perſonæ vibicem infligeret, ſed vti ab eo tali fortuna mulctato, commodius Quitonicæ Prouinciæ imperium ſibi paterno teſtamento legatum, & extra eius regni limites ſitum exprimeret.

Mirabilis Atabalibæ æſtus.

ret. Pizarrus quum communis sortis necessitatem demonstrando, pollicẽdoq́, tum de iniusto interfectore quæstionẽ exerceri, & suppliciũ sumi posse, postquã præsentis belli tumultus deferbuisset, his atq; alijs dictis solaretur, Atabalibas conceptũ facinus sua opinione leuius duci audiẽs, maturare institutũ scelus cõstituit, subitoq; clã Ducibus Guascaris interimendi negociũ imponit, quod ab his tãta celeritate præstitũ fuit, vt nõ satis constet, vtrũ ante cædẽ, an pòst, eã cõficti luctus simulationẽ prætulerit. Ferunt Guascarẽ iã neci suæ propinquũ fatali proloquio dixisse: se rẽ exiguo tẽpore obtinuisse, & vt nõ lõgio re proditor frater obtineat certè futurum: quamobrẽ cũ nõ multò pòst Atabalibam ad necẽ trahi viderẽt Barbari, Guascarem vti verũ fraternæ necis vatẽ Sole natum credebant. Hũc propè in ipso imperij et virilis ætatis limite Guascar vitæ exitũ adeptus est, qui inqua dolẽtiũ militũ obtrectatione, summa Sotũ Barũq; inuidia onerauit, ac tũ ipsius Guascaris miseratiõe, tũ ferẽdi auri mora seditiõe sopitorũ militũ resuscitata ipsius demũ Atabalibæ, secus ac sperarat, mortẽ, accelera- Guascaris mors.

celerauit. Non obſcuris enim ſtudijs omnes in Guaſcarem propendebant, non eò tantum quòd pro illo cauſſæ æquitas facere videretur, ſed quòd ante captiuitatem, amicitiam ac coniunctionem Hiſpanorum miſſa legatione quæſiuiſſet, quam pertinaciter contemptam nihili fecerat irriſeratq; ſemper Atabalibas, cui contumeliæ meritas adhuc pœnas deſtinabant. Inter has expectādi auri moras Pizarrus Ferdinandum fratrem miſit ad Pagacamiam occupandam (de qua libro ſuperiore dictum eſt) cui in itinere occurrit Ileſcas Atabalibæ frater cum trecentis aureorum millibus præter cæteram auri argentique copiam infecti. Vbi in Pagacamiā peruenisſet, cōperit in Sauſanis quadraginta inde paſſuum millibus Cilicuchimam (cuius antè mentionem fecimus) conſediſſe. Hunc hortatus eſt Ferdinandus, vt ad ſe veniret, pollicitus omne amicitiæ beneuolentiæque officium, ſed cùm Barbarus vel metu vel ſuperbia grauaretur, ipſe ad illum profectus eſt, ac deinde humaniter colloquutus, exemplum Atabalibæ proponendo, quem reiecta Hiſpanorum amicitia contumaciam perdi-

Ileſcas Atabalibæ frater.

diſſe

disse sciret, Barbarum perpulit, vt dimisso exercitu secum ad Atabalibam proficisceretur. Breuiore itaque itinere vbi redierunt per montes, Cilicuchima ex more gentis discalciatus, & indumenta ante regem deferēs, ad Atabalibam ingressus est, regioq; nomine Ingam appellitans. Nō te, inquit, in hac fortuna exciperem, si mihi pugnæ interesse licuisset, sed quando ita iniquæ sortis casus tulit, reliquum est Imperator, vt quodcunque accidit moderatè perferas, & id optimū validissimūq; ad præsentis miseriæ tædium eleuandum fore consolationis genus arbitrere, quod tibi ipse ab fortis animi tolerantia constantiaq; adhibes. Ad quæ nihil aliud dixisse Atabalibam ferunt, ita forte Deos immortales non iniquos humanæ superbiæ vindices immodico fastu Christianos contemnentem voluisse punire: sed suprà cætera vnicè de Ruminaxi esse conquestum, quòd ille, in quo præcipuam victoriæ consequendæ spem posuisset, præcipiti fuga omnem destinati sui consilij ordinē peruertisset, & ferè prodidisset. Sub idem tempus instructa naui ad Portum Veterem appulsus in Peruuiam traiecit

Cærimonia Cilicuchimæ ad Atabalibam ingrediuntis.

Dida-

Didaci Almagri in Peruuiam appulsus.

Didacus Almagrus, qui clandestina æmulatione ac simultate in Pizarrũ stimulatus, constituerat & ipse aliquã gentem scrutari, sed certior factus maximam post Atabalibam captum in Pizarri castra ad Cassamalcam auri vim conferri, eius opulentiæ propter veterem familiaritatẽ, & fortunarum communionem (quã illi cum Pizarro fuisse diximus) aliquam partem sperans, cõmutata voluntate Cassamalcam profectus est. Iam enim non exigua portio ad promissæ redemptioni satisfaciundum aduecta fuerat tanto cum Hispanorum stupore, vt nulla in parte Europæ æqualem auri vim esse crederent. Eius enim summa iam trigesies centies millia, & myriades octo Carolinorum superabat. Eadem ratione argenti æstimatio propè fidẽ excedebat: sed in hac admirabili affluentia, & Peruuinæ opulentiæ ostentatione, quæ nostris miranda stupendaque iure videri poterat, ne tamen quinta promissi precij pars regiæ redemptionis æquabatur. Itaque venienti in castra Didaco, quanquam ipse appendices que extra laboris ac periculi aleam in capiundo

Pizarri in Almagrũ liberalitas.

Rege

Rege fuissent, tamen vt animi sui gratitudinem, incolumemque adhuc pristinæ familiaritatis memoriam declararet, & impensarum, quas in milites, nauimq; instruendam Didacus erogarat, detrimentum sarciret, Pizarrus minimè humanitatem suam præcluſit, deditque ad centum aureorum millia. Sed in tanta diuitiarum copia tempus erat præstantißimæ victoriæ nuncium in Europam perferri, & Cæsarẽ, iuxta conuenta, definita summa donari. Ea res tria cõmoda proponebat, quòd plures allici, quòd aduersariorum calumnias refringi, qui antè Peruuinam profectionem, vti inutilem, irriserant, quòd Cæsarem deuinciri, & ab eo liberaliora latioris iuris priuilegia impetrari posse sperandum esset. Non enim iniqua ratione Pizarrus ad id postremum consequẽdum maturè sibi viam muniendã prouidebat, quòd ab primo eo iurgio æstuantem semper Almagrum, vel aliquando ad tempus pacatum nunquam ad veteris amicitiæ candorem rediturum, sed rediuiua perpetuo ad magna anhelantis animi contentione implacabilẽ suæ fortunæ æmulatorẽ metueret.

Sed

Sed cùm penitus nondum promissæ redemptionis precio persoluto adhuc discerni haud posset, quid ad Cæsarem iuxta pactiones rediret, ex massa desumit centum aureorum millia, argenti talenta supra triginta, quibus diuersa elaboratorum operum ex auro argentóue oblectamenta adiunxit, vti crateres, toreumata, carrucas, tympana, tubas, cælata virorum mulierumq; simulachra, idq; genus alia, quæ vel inter epulas Regum ministerijs accommodantur, vel ad oculorũ voluptatem admirationemq; pretiosis in abacis ostentantur. Cùm his Ferdinandum fratrem in Hispaniam amandauit, quod quidem Atabalibam ingenti stupore ac luctu perculit, quòd Ferdinandum non modo impensè charum haberet, sed in eo omnem suam salutem recumbere sciret. Is enim ingenio maximè ad omnẽ clementiam, ac moderationem natus, quotidianis ferè colloquijs captiuũ inuiserat, semperq; in maximam consequendæ liberationis spem atque expectationem erectum tenuerat, & militum seditiosis occlamationibus sæpe compressis ac refutatis, perpetuum fidissimi patrocinij officiũ exhibuerat. Proinde quum

Atabalibæ luctus ob Ferdinandi discessum.

ad iter

ad iter paratus valedicendi causſa Atabalibam adiſſet, ferunt illum minimè luctũ diſſimulantem nõ ſine lachrymis dixiſſe. Eúmne iam abire, & in iſtâ fortuna derelinquere miſerum, cui hactenus ſpes omnis ſuâ acquieuerit? Hei quam ſe ſcire, digreſſo ipſo, præpinguẽ illum & monoculũ (Almagrum innuens) confeſtim de ſe tollendo ſeditiones conſiliaq; iactaturum. Nec tam imminentia metuẽtem, quam vera ominantem ea opinio fefellit: nam profecto Ferdinando eũ demum de nece Atabalibæ agitari cœptum. Erat in caſtris quidam nomine Philippillus, qui Barbaricæ callens linguæ interpretis munere fungebatur, is Atabalibam accuſabat, quòd ſecretas ad opprimendos Hiſpanos inſidias machinaretur, & per iſtam precij diſſoluendi dilationem earum occaſionem captaret. Philippillum ad accuſandum Atabalibam adductum nonnulli volunt, vt è medio ſublati liberius vna pellicum eius frueretur, cuius amore deperibat, quod ne quidem ignorans Atabalibas, haud ſemel ea de re cum Pizarro expoſtularat, illũ haud obſcurè incuſans, quòd eiuſmodi iniuria ac violatione

Philippilli intenta in Atabalibã accuſatio.

se affici pateretur, quum ex patriæ legis sanctione æquum esset, non procum modo cum proca tolli, sed domum, & solum insperso sale ad penitus eruendam tanti sceleris memoriam euerti: Alij hunc ab Almagro impulsum volunt, qui cum ex Pizarrianis nihil sibi in præda commune fore didicisset, quoad lytrum persolutum esset, intentissimè omnium Atabalibæ neci inhiare putabatur. Sed vtcunque se res habet, subornata accusatione morti adiudicatus est. Tum ille certior factus ad Pizarrum alios q; Principes, nunquam, inquit, existimassem futurum, vt eius rei, cuius penitus perficiundæ via capto & in aliena potestate constituto sit præclusa, vnquam à vobis postularer. Nam quod de dilatione obijcitur friuolum ac puerile est, quum nullo adhuc tempore, à quo vestris me manibus fortuna intulit, cõportandi auri industriam refrixisse cuilibet satis cõstet, sed & si, vt suspicio accusatioq; impingitur, destinatæ fraudis cogitatione tardius omnia fierent, certè expectandum fuisset, dum tumultus alibi obortus rẽ approbasset, ac tum non sera hercule in meam necem nunc præter meri-

meritum intẽtata actio fieri potuisset. Iam prodor insons honesto scilicet consultæ prorogationis prætextu, quia quid mihi vlterius moliundi hîc capto abditoq; sit potestatis, omnium coniecturæ facile relinquitur, sed tamen metus si fuerit, ostendite errorem solum metum habere, non cæca in meam necem consilia esse. Agite igitur, duplicate custudias, neminem ad me aditum habere, aut verba ferere, nisi præsente audienteq; satellitio vestro, patiamini, vt eos vos esse Christianos intelligam, quos dicitis gentes omnes æquitate, ac clementia superare. Hæc oran- *Atabalibæ interitus.*
tẽ turbidis clamoribus vrgẽt, nec obiecta modo repetunt, sed iã Guascaris cædẽ iactabãt: ita miser ad necem trahitur, & frustra Ferdinandũ inclamans iugulatur. Corpus Quitonem delatum Ruminaxis, qui ex prælio fugiens liberos Atabalibæ in tutelã acceperat, regio funere extulit, sed pietati crudelitatẽ addens, vt solus imperio potiretur, Duces, qui corpus detulerãt, potione sopitos obtruncauit, inter quos fuit Ilescas Atabalibæ frater, quẽ ille viuens non multò antè necem Quitonem ad liberos sibi adducendos ablega-

Pizarrus ad occupandam Cuſconem tendit.

rat. Compoſitis autem rebus ad Caſſamalcam Pizarrus, quum plurimum ad totius belli, Prouinciæq; occupandæ momentũ pertinere videret, ſi Cuſcone regia vrbe potiretur, eò iter intendit. Iam enim illuc quoque vocabat fama perlata Quiſquim Atabalibianum Satrapam, de quo ante dictum eſt, in Sauſanis conſediſſe, & alteras adhuc copias in Vilcacinis verſari, præeſſeq; his Paulum Guaſcaris fratrem Ingam patria cærimonia declaratum, & hunc vires quotidiè adaugere, magno etiam incolas odio Hiſpanos externam gentem proſequi, ac non inuitè coëuntes bello inſtaurando diligentiſſimè inniti. His de cauſsis Pizarrus paulò celerius Caſſamalca diſceſsit, venientemq; in ſe

Quiſquis Pizarri aduentum fugit.

Quiſquis vt nunciante fama ſenſit, nullam fugiendi illinc morã fecit. Vbi latè agris vaſtatis in Vilcacinos peruẽtum eſt, præmittitur Sotus, qui itinera exploraret, & ſequenti agmini viam faceret. Hic vbi plano in loco ſub veſperam cõſediſſet, Barbari, qui tectis ſe locis occultarant, repente fero vlulatu è montibus prouolantes, ſaxaq; & tela præcipitantes, tanto impetu in feſſos diſperſosq;

sosq; decurrêre Hispanos, vt sex subito interfectis nihil propius abesset, quin Sotum cum suis in fugam verterent, sed ægrè dimicantes, ægrius sustinẽtes, nox ad montes hostem reuocans, eo periculo liberauit. Per noctem Pizarrus cum equite Almagrum subsidio misit, ipse de tertia vigilia subsequutus est. Postridie, cum summo mane hostes prælio lacessere inciperent, equitum, qui auxilio aduenerant, propter spissæ nebulæ caliginem ignari, nostri ad lapidum vitandos ictus, Barbaros q; ad æquiorem sibi pugnam in planum eliciendos, consultò pedes retulerunt, sed illi intellecta fraude loco permanentes de præcipiti cum vrgere pergerent, Hispani sibi indignantes, seseq; mutuo increpãtes, quòd paucos & inermes inconditos q; Barbaros coërcere atque infringere non possent, redintegrato clamore in aduersos hostes montes q; strictis ferris ruunt, factaq; impressione non loco modo potiti sunt, sed omnes procul in interiores montes refugere coëgerunt. Ea clades fractum animo Paulum Ingam adduxit, vt cum veniente Pizarro pacem iniret, fœliciora q; in societate Hispanorum, quam

Pugna in Vilcacipis.

Paulus Inga cum Pizarro pacẽ init.

vi sperare disceret. Postquã ergo Pizarrus cum cætero agmine aduenisset, Inga veniam supplicíter deprecatus est, paceq; legitimo sacramento cõfirmata, indicauit ad Cusconem magnas copias cõspiratione facta ipsius aduentum ad pugnam conserendam præstolari. Pizarrus dierũ aliquot itinere progressus, vbi Cusconi propinquare cæpit, fumum latè tolli vidit, ratusq; Barbaros vrbem succendere, cõfestim certos Duces cum expeditis ad inhibendum incendium misit. In hos iuxta vrbem progressos magna Barbarorum multitudo sese effudit, telisq; fundis, et saxis adorta cedere nostros compulit, sed vbi repente subsidio missi cum equitibus Consaluus atq; Ioannes Pizarri fratres aduenêre, tunc magno incursu fusi fugatiq; Barbari, & in fuga magno numero per compita calles q; ab equitibus acerrimè insequentibus cæsi. Postridiè Pizarrus ratus haud dubium certamen subeundum fore, ad vrbem instructa acie processit, sed quod domiti hesterna clade Barbari spiritus remisissent, & magna eorũ pars metu per noctem dilapsa esset, omnia pacata quietaq; præter expectationẽ inueniens, nulla

Barbarorũ fuga & cædes.

nulla cum grauiore moleſtia Cuſconẽ introiuit, tam facilią modo regia vrbe potitus eſt, vbi tantam auri gazam repperit, quantam Caſſamalcæ vnquam acceperat. Poſthæc vt fama allatum fuit haud procul abeſſe Quiſquim, veniſſeq; in vicinam Conduſiorum gentem, ad illum inſequendũ cũ equitibus quinquaginta miſſus eſt Sotus, quem Quiſquis expectare haud auſus, relictis paſſim populationum incendiorumq; veſtigijs, in Sauſanos receſſit, vt Hiſpanos, quos ea in regione ad impedimenta relictos ſciebat, de improuiſo opprimeret. Sed cũ rem antè exploraſſent, capto edito loco moleſtanti Quiſqui fortiter repugnarunt, ita ille nulla re memorabili acta in Quitonicum agrum ſe recepit: quare Sotus fratresq; Pizarri poſt illum miſſi, cẽtum amplius paſſuum millibus cũ inſequuti nequicquam fuiſſent, Cuſconem ſunt reuerſi. In ea vrbe conſtituenda Pizarrus dies viginti conſumpſit, militibusq; inuenta ibi præda donatiui nomine diuiſa: quum diſceſſum inde pararet, veteribus incolis, quibus manendi voluntas erat, vrbem incolendam reliquit, quum plæraque Hiſpanorum pars in

Pizarrus Cuſcone potitur.

patriam reuerti properaret, vt isthic iam rebus partis locupletes reliquum vitæ curriculum beato in otio ac tranquillitate traducere possent. Posthæc Pizarrus Benalcazarē Michaëliam misit, vt Tangaranæ præesset, qui, postquā intra Præfecturæ terminos peruenit Canarum, Legatos obuiam habuit, opem ipsius postulantes, quòd Ruminaxis, fratribus Atabalibæ sublatis, Quitonico imperio crudeliter potitus copias ingentes contraxisset, & Canarum agrum continente bello premeret. Hi enim ob exercitam in ipsos Atabalibæ, vti dictum est, crudelitatem maximè ipsius Præfectis infensi erant, & cum nostris idcircò quamprimum amicitiam iunxerant. Hac de caussa Benalcazar, quia quam plurimi Panamaide iam aduenerant, cum peditibus ducentis, atq; octoginta equitibus aduersus Ruminaxim profectus est, qui licet ad duodecim hominum millia sub signis haberet, nunquam tamen in aciem dare se ausus fuit, sed crebras insidiando molestias potius, quam pericula aut damna inferebat: quippe abditioribus in locis, aut in montanis vallibus vel vias obsepserat, vel in virenti

Benalcazar Tangaranæ Prouinciæ præficitur.

Benalcazar in Ruminaxim.

Insidiæ Ruminaxis.

rẽti gramine cæcas scrobes effoderat, in quas equi pedibus haustis inciderent, quas omnes difficultates Benalcazaris industria vias no ctẽ primũ explorando, nec recta in hostes, sed per circuitus proficiscendo, facilè deuitabat. Ita quum per montes cãposq; nauiter ac consideratè procedens iam Quitoni instaret, Ruminaxis nullum potius consilium inuenit, quàm si inde in interiora loca inuictis asperitatibus tuta profugeret, quo minimè Hispanos esse peruenturos credibile videretur. Hoc igitur distinato consilio ad Pellices suas conuersus: Ecquid, inquit, meæ quondam deliciæ, nunc se animi habent vestri, quando iam Christianis aduentantibus, diu exoptata libidine mei pertæsis, perfrui licebit? quibus cum verbis veluti salso dicterio dictis arriderent, iratus Ruminaxis plæraſque crudeliter interfecit. Nam vti omnis ferè muliebris nouo in orbe sexus inusitato nostrorum hominum appetitu atque libidine exardescit, ita hæ non incerta ob Hispanorum aduentum lætitiæ signa dederant. Hoc facinore perpetrato, & incensis præterea insignis magnificentiæ ædibus Ruminaxis profugit,

& Quitonem occupandam non difficili negocio Benalcazari atque Didaco Almagro reliquit. Priusquam enim cederet Ruminaxis Almagrus ad Benalcazarem peruenit à Pizarro missus, quòd fama percrebuisset Petrum Aluaradum ad Peruuiam inuadendam magno cum militum numero & classe aduentare.

FINIS.

Δεὸς τὸ δ'έος.

Argumentum Lib. III.

Petrus Aluaradus, Prouinciæ Vatimalianæ Prætor, de Peruuiæ fœlicitate ac Franciſci Pizarri ſucceſſu certior factus, dum ille ad Caſſamalcam detinetur, in ſpem Quitonis potiũdæ venit, appulſúſque ad portum Veterem inde per Arcabuxios montes difficili & graui labore in Quitonicum agrum peruenit, perceptoque Almagri diſceſſu in illum tendit, ſed quum in mutuum conſpectum ventum eſſet, res pactione cõpoſita fuit, & fugato in itinere Quiſqui, quũ ambo ad Pizarrum peruenisſent, ſoluit Aluarado pecuniæ ſummã Pizarrus, & illum in ſuam Prouinciam remiſit. Almagrus verò Cuſconẽ digreſſus, ob perceptam de Cæſareo diplomate famam, iſthic tumultuari cœpit, ſed aduentum Pizarri turba ſedata fœderéque renouato Almagrus iter in Chiliacos cœpit. Pizarrus Regiũ eſt reuerſus, interim quum Ferdinandus in Peruuiam Cuſconem redijſ-

ſet,

set, Cæsareum diploma Ioannes Errada attulit, quo ille accepto, conditionum factarũ pœnitens, contra iusiurandum Cusconẽ redit, & ea vi potitur, Ferdinando atq; Consaluo Pizarri fratribus captis. Verũ his liberatis paulò pòst bellũ inter Pizarrum atq; Almagrũ erupit, prælioq; demũ ad Cusconẽ cõmisso captus ac cæsus ab Ferdinando est Almagrus, dehinc ad rerũ gestarũ rationẽ dandã Ferdinnadus in Hispaniã profectus est, sed quũ ibi ad caussam dicendã detineretur, ac Vacianus Caster ad cognitionẽ rei habendã in Prouinciã mitteretur, Almagrus senioris Almagri filius cũ Ioanne Errada ac sui nominis studiosis coniurationẽ in Pizarrũ instituit, vi In ipsius ædes irrũpit, & illũ trucidat, Prouinciæq; Præturã occupat, ortoq; propterea inter hũc ac Vacianũ Castrũ bello, præliũ ad Vamãtiacum commissum est, quo victus Almagrus & Cusconem fugiens demum cæsus est.

LEVI-

LEVINI APOLLONII GANDOBRVGANI DE REBVS IN PERVVIA GESTIS.

LIBER III.

HOc modo, nec grauiore labore Cuſcone, Quitoneq; regijs vrbibus in poteſtatem redactis, quum ferè, quicquid Peruuini nominis erat, Hiſpanorum ditioni ſubiectum eſſet, Barbarorumq; Ducibus vel ferro vel fuga abſumptis hoſtes deeſſent, non diu inter Hiſpanos Duces æmulatio mutuo liuore agitata ferre potuit, quin incredibilẽ illam virtutem, qua tantulo tempore Prouinciam ſubiugarãt, in ſuum ſanguinem viſceraq; ſcelerato ferro cõuerſam nefariè exerceret, adeò vt nihil verius rectiusq; eo Scipionis Naſicæ apud Romanos quondam iudicio fuiſſe conſtet, qui Carthaginienſi excidio parcendum ideò tantum putauit, vt ad impias damnatasq; ciuilis belli contentiones declinandas nunquam externi hoſtes deeſſent,

sent, qui aßiduis territantes armis perpetuã honesti exercitij, & ciuilis concordiæ materiem cauſſamq; noui ac ſemper reuiuiſcentis belli metu Romanis in ciuibus Principibuſque continerent. Ac certè, vti tum primum inuictum antea imperium ſubſequuta ciuilium irarum bellorumq; diſſidia diuulſere, poſtquam domito orbe & Cimbrorum diſpulſa mole, potentia ad inuſitatam quietã prouecta ſuorum Ducum tædioſa atque inuida eſſe cœpit: ita in hac ſimiliter Prouincia, quũ Atabaliba deuicto, Regijs occupatis, & iugo vniuerſæ Peruuiæ impoſito præpinguis ocij, ac mollis quietis delicata tranquillitas ſperari poſſet, ſubito Duces, reſuſcitatis primi diſſidij cauſſis, ad mutuas contentiones mutua inuidia prouocauit. Primam inteſtinæ diſcordiæ cauſſam dedit Petrus Aluaradus, qui, quum multum diuq; in Mexicanis apud Ferdinandum Corteſium militaſſet, eo bello confecto ab illo digreſſus Vatimalianam ad Prouinciam venit Iſthmo proximam, quam quum magno labore ſubactam Cæſaris permiſſu gubernandam impetraſſet, famam de Peruuia hic tandem accepit, ſtatimq; Garziam

ziam Holgunum ad littus explorandũ cum nauigio misit. Hic quum plurima de Prouinciæ statu, Pizarri successu, & Cassamalcano imprimis prælio, copiaq; auri parta retulisset, in spem venit Aluaradus Quitonis potiundæ, dum diuersa in parte rebus constituendis Pizarrus ad Cassamalcam occuparetur. Itaque instructis aliquot nauibus, & aliquot etiam Nicaraguæ captis liburnicis ad Portum Veterem appulsus viam per Arcabuxios montes secundum Æquinoctialem in Quitonicum agrum affectabat. Iter erat, vt in montibus fit, per aspera & inculta, vbi nisi aut supra verticem saxeæ rupes, aut desuper confragosæ atque infrugiferæ valles spectantur: montes, quod mirum est, propter loci inclementiam nullos aut fontes, aut riuorum amniumue scaturigines euergunt, torrida perustaq; omnia occurrunt, & in ea etiam parte quidam cæteris montibus insuperabili cacumine excelsior, Ætnæ Siculæ instar, eo turbine atque vi flammas atris & cauernosis faucibus eructat, vt vel ab multo spacio prætereuntes bituminosis glebis defœdet. Ibant igitur per loca non inculta atque inco-

Petri Aluaradi ad Quitonem occupandam inceptum.

Montes Arcabuxij.

Mons Aetnæ instar flammas eructans.

incognita modò, sed ne trita antè vnquam, errabundis similes, & sibi viam, qua transirent, moliuntes, labore, siti, fame cõfecti. His difficultatibus vna commoditas succurrebat, quod magna arundinum in ijs aspretis copia esset, quæ matutino rore tinctæ mediocrem aquæ abundantiam sitientibus præbebant. Hanc montium plagam vltimo æstu pressam longè frigida madidaq; excepit, vbi non minora negocia molestiæq; niuibus amouendis fuêre, quæ montium vertices, lateraq;, & valles ipsas vltè contexerant. Rigebant dextræ, vixq; vnica armorum præsidia sustinere corpora poterant: interdũ vias quærentes niuosæ voragines absorbebant, tantaq; in summa mordacissimi frigoris ac gelu vis erat, vt propè vadentium pedes in ipsis vestigijs stringerentur, & eo mortis genere (quod longè fuit miserrimum) obrigentibus membris velut sopiti sexaginta milites interierint, inter quos vnus vxorem filiasq; duas, quas adduxerat, conspicatus partim eundi labore, partim frigore exhaustas, vt pedem amplius promouere non possent, & ip se in earũ cõspectu obrigescere maluit, quan-

Sexaginta gelu constricti.

quam

quam sui conseruandi facultas non deesset. His tandem superatis in vicíniora Quitoni loca temperie aëris, & vallium salubritate lætiora Aluaradus propè tertiam suorum partem desiderans peruenit, & reliquum iter ad Almagrum ac Benalcazarẽ opprimendos instituit. Hi postquam Ruminaxi digresso Quitone (vti dictum est) potiti fuissent, Almagrus non tanta auri gaza inuenta, quantam fuerat spe cõplexus, ad Pizarrum Cusconem reuerti, Benalcazare sua in Prouincia cum suis relicto, destinarat, sed eo Michaëliana via profectum & regredi conantem tantis laboribus implicitũ Barbari tenuere, qui passim montanas obsidentes vias, iniuriæ atque impedimento festinanti erant, vt ea hostes arcendi disijciendiq; interposita mora spacium Aluarado propinquandi, & Almagri occupandi per commodum offerretur. Magnum etiam & difficilè cum Luxibambis certamen ad latissimum amnem in itinere fuit, qui ponte interrupto ripas magno numero circumsidentes Almagrum minimè flumen transire patiebantur. Verùm, illo nequaquam tantas hostium copias reformidante,

Aluaradus in Almagrum & Benalcazarem.

Fœminarũ virtus.

midante, hunc ea contentio exitum habuit, vt, quum etiam fœminæ militibus adiunctæ fundis saxisq; iaciendis virili affectu fortissimè rem gererent, magna nostrorum virtute, & Barbarorũ cæde per vim amnis transitus pararetur, & ipse hostium Dux caperetur. Ex illo demum Almagrus de Aluaradi aduentu cognouit, & iam vix ipsum quindecim passuum millibus abesse intellexit rupem obsidentem, quam ad transitum prohibendum Sosopaxis regulus munierat: quibus rebus perceptis septem equites speculandum emisit, qui simul omnes ab Aluaradianis circumuenti, & capti sunt. Quapropter Almagrus, maiore militum parte Benalcazari ad præsidium relicta, cum viginti & quinque equitibus duntaxat, quanta celeritate posset, Cusconem properare cogitabat: verùm id cõsilium alius casus inhibuit. Philippillus interpres post Atabalibæ cædem (cuius authorem fuisse creditum hunc diximus) in grauem suspicionem illapsus, cùm pœnam etiam metueret, ad propinquum Aluaradũ cũ Barbaro quodam Regulo transfugit, cui fidem dabat, vniuersæ regionis ipsius

Philippilli transfugium.

sius potestati tradendæ: illud etiam adiungens, Almagrum cogitantem proficisci Cusconem anteuerti & capi posse, quòd militum eius numerus non pedites ducentos, equites vix quinquaginta excederent. Aluaradus transfugæ consilium sequutus nullam inde procedendi moram facit, celeriterq; contendens breui ad Luxibambam peruenit: vbi, quum Almagrum consedisse exploratum habuit, instructa acie in eum procedit. Tum vero Didacus in eum coniectus locum, vnde se sine ignominia eripere non posset, eos sequitur, qui ex necessitate ancipitem nutantis ingenij habitum ad fortitudinem reuocant, existimansq; omnino è sua esse dignitate nullo trepidæ mentis argumento facto suam militumq; virtutẽ constanter tueri, quanquam hostium numero nõnihil terreretur, peditatu intra locum vtrinque muro munitum ordinato Aluaradum expectare constituit. Verùm ebullientem iã in arma ac pugnas iram mutuus conspectus leniuit, & primum suborta in animis rei indignitatis reputatione murmura tolli cœpta sunt, ecquid instituere ac moliri se? memoriámne quo sanguine, Hispanũ in se.

qua patria orti sint, abijsse? iam fratres in viscera sua sanguinemq; grassari? ecquid capturos exẽpli inde socios? ecquid hostes Barbaros spei concepturos, postquam Hispanos, gentem aliâs inter se vsque adeo charam & amicã, nunc auri libidine cognationis ac patriæ necessitudinis oblitos semetipsos consumere viderint? Vbi deinde fundendi sanguinis omnes clam miseratio subiret, quo etiam ad Magellanicum fretum regionem subigi non dubium esset posse, hæc imprimis commemorante ac deprecante Caldera, dextræ interiunctæ sunt, et pax his legibus composita, vt Didacus pro insumptis in classiculam ac milites impensis centum aureorum numûm millia penderet Aluarado, & ad hos dinumerandos vterque ad Pizarrum proficisceretur. Eæ conditiones clam compositæ, et magno silentio suppressæ sunt, ne noui tumultus indignantibus Aluaradianis caussam adferrent, quod nihil de ipsis remunerandis astuta & ingrata sui nominis prætermissione constitutum, sed in solius Ducis fructum ea pactio transacta fuisset. Inter hos enim multi authoritate & existimatione bello paceq; spectati

Pax & pactum Almagri cum Aluarado

spectati erant, qui in magnam spem Aluaradum sequuti ea sibi iniqua transactione penitus omni sperati emolumenti successu haud dubiè deijciebantur: propterea ne quid ea res nouæ turbæ pareret, Aluaradus atque Almagrus rumorem in vulgus edidere iter eo consilio Reginum in agrum secũdum maritimam viam adornari, vt noua superioris littoris regionis q; exploratio iniretur. Igitur data, quibus liberet, Quitone apud Benalcazarem manendi potestate, ad Pagacamiam Reginum in agrum profecti sunt, quo iam Cuscone Pizarrum descendisse acceperant. Priusquam Quitonico agro excederẽt, Didacus regulum illum, quem cum Philippillo ad Aluaradum anteà trãsfugisse diximus, igne concremauit, haud dubiè eodẽ supplicij genere in Philippillum animaduersurus, ni homini vitam sollicito deprecans intercessisset Aluaradus. In itinere cùm essent, nunciarunt Canares Quisquin, cuius multa superiore libro est mentio facta, cum duodecim hominum millibus aduentare, & eius trahendi spẽ faciebant, si morari vellent: verùm dissidente Didaco cum itinere continuato in

Chaparros peruenissent, in primam Quisquis aciem, cui Sotarxes præerat, ex improuisò incidêre. Quisquis enim in proficiscendo hunc ordinem seruabat, vt tria hominum millia ad efferendos vndique commeatus, præparandamq; sequentibus viam præirent, totidem bidui itinere pòst sequerentur, ipse inter id agmen medius cum militum robore procederet. Hic Sotarxes cum prima acie præmissus certos aditus obsidere iussus fuerat, quos transituros putaret hostes, verum Aluaradus, via præoccupata, nihil tale metuentem Barbarorum turbam fudit, & hac etiam securiorem Sotarxem viuum cæpit. Eadem celeritate in spem Quisquis opprimendi erectus, vbi certiora de illo ex captiuis cognouisset, nulla equitibus quiete data ad hostem contendere perrexit. Vbi tamen ad alicuius amnis descensum peruentũ fuit, maiore noctis parte hæsitatũ est. Nam quò isthic arrectius montis iugum surgebat, eò deiectiore cursu via præcipitabat miris angustijs concluſa, in quam insuper deuolutus amnis arenis proiectis ita extantia lubricabat saxa, vt ægrè miles tentabundus & manibus

Quisquis in proficiscendo ordo.

bus retinens virgulta ac circà eminentes stir pes, cùm equum insuper fræno deducere cogeretur, & se à lapsu, & equum à ruina sustinere posset. His tandem difficultatibus superatis, quanquam extrema propè fatigatione tã viri quàm equi enecti essent, nulla respiratione capta Quisquis assequendi consilio institerunt: sed vel summa celeritate aduentus sui famam præuenire non potuêre: qua edoctus Quisquis, vt se maturè imminenti periculo eriperet, relicto cum maxima exercitus parte Gipalcone, cuius virtuti plurimum tribuebat, per auersos montium tramites Quitonem versus fugam intendit. Gipalco breui oratione cohortatus suos, ne animos turpi metu remitterent, & in pugna virili potius nece defungi, quàm in fuga fœdo & miserabili exitu perire, aut in longè miserabiliorem seruitutem venire mallent, mõtem capit, quem Aluaradus Almagrusq; adorti pugnam frustra ad noctem extraxere, qua interueniunte, cùm suos reciperet Aluaradus, Gipalco ad quærendum Quisquin deserto loco excessit. Ita præter spem Hispani monte potiti in tertiam Quisquis aciem

Quisquis fuga.

incidêre, quæ præaltam & asperam, ac præfluenti etiam fluuio impeditam rupem occuparat. Eam aggressus Almagrus simili & contentione & pertinacia fatigandi loco quidem deijcere non potuit, sed ita cõterruit, vt, inaccessa alioqui rupe sponte deserta, per noctem ad interiores montes altioresq; sui firmius muniendi caussa profugeret. Id (quanquã Ducibus, hostes insequendo, diutius cum inuictis locorum asperitatibus moliundi bellum nulla ratio videretur) tamen ad non inane tanti itineris insumpti, laborumq; deuoratorum solatium milites ingenti præda ditauit: nam præter magnam captiuorum hominum turbam amplius quindecim ouium millibus potiti sunt. Per has prælioloru̇m molestias vt tandem Michaëliam vẽtum fuit, ad Portum Veterem Almagrus Didacũ Moram misit, vt in ipsius auspicia Aluaradi classiculam reciperet: qua re facta, & omnibus mediocri iam quiete refectis, cœptum iter instituit, in itinereq; Martinum Astetium, sicuti Pizarrus iusserat, ad Trugillanam vrbem colendã reliquit, quum interea Quitonicum in agrum Quisquis fuga dilapsus acces-

Ingens præda.

acceßißet. Ibi etiam illum incertis vijs trepidè oberrantem excipientes Benalcazaris milites ſtrage damnoq; omni eò deſperationis redegêre, vt conſilij inops Ducum ſententias exquireret, qui cõmuni ſaluti conſulẽdum, et amicitiam pacemq; Hiſpanorum, quàm vim amplius experiundam rati ſuadebant, vt ſocietatem gratiamq; cum Benalcazare iniret: ad quæ cùm animi indignationem Quiſquis non diſſimularet, Barbaræq; adhuc arrogantiæ plenus diceret eâdem potius, qua veniſſent, redeundum via, & extremas humanitatis ærumnas fortibus animis corporibusq; ſubeundas, quàm dedecoroſa fractæ ſpei abiectæq; mentis confeßione ignominioſas noxiæ pacis leges emercari, & ab innata Peruuinis aduerſus hoſtes patriæ ac gentilis dignitatis tuendæ generoſitate turpißimè reſilire, cæteris ferocior vnus nomine Gipâlas, Ergo, inquit, Imperator, ſi vſq; adeo tibi patrium decus cordi eſt, & fortia conſilia tantopere approbas, cur, poſtquam ad extremam iam ferè alimentorum inopiam ſit deuentum, redeundo magis lubet inter vaſtas incultorum locorum ſolitudines miſeranda

planeq; virilibus ingenijs dispudenda mortis genera famis sitisq; quærere, quàm hic (quando probrosæ, vt infis, pacis cogitationes abominaris) cruentam potius dimicando cum gloria, atq; honore necem oppetere? vixque hæc vt fatus fuit, indigna responsa reddentem Quisquin furore accensus, & in pectus ipsius violento incursu delatus medium hasta transfixit, atque ita reliqui, quo vellent, in quascunque abiere partes. Almagrus interea & Aluaradus, cum in Reginum agrum ad Pizarrum peruenissent, omni humanitate & gratulatione ab eo excepti sunt, soluitq; Franciscus statutã Aluarado pecuniæ summam, quanquam multi haud leuibus querelis obstrepentes iudicarent nõ modo id pactũ, quod certo prælij metu adductus Almagrus fecisset, non præstandum esse, sed ipsum Aluaradum in vincula conijciendum, ad Cæsaremq; in Hispaniam mittendum, vt isthic lite cõtestata summi tribunalis iudicium acciperet, quod alienam prouinciam inuadere, externosq; limites pertentare, in quos nullum ius haberet, non dubitasset. Verùm Pizarrus, quanquam id vel citra omne periculum

Quisquin ab suis trãsfigitur.

Murmure in Aluaradum.

lum præstare posset, maluit veteris amici existimationi consulere, fideque deuincta Almagrum liberare, solutaq; ob id pecuniæ destinatæ summa Aluaradum Vatimalianam ad prouinciam veterē remisit, Almagro iam Cusconem abeunte, ipse ad Reginam vrbem colendam, quod portus commoditas, agriq; fœlicitas mirificè arrideret, se totū cum suis dedit applicuitq; cui negotio dum sedulò studet, allata est fama Ferdinādum Pizarrum diu expectatum ex Hispanijs in Isthmum traiecisse, breuiq; in Prouinciam aduenturum, et vnà Cæsareum diploma, quo aliqua imperij portio Almagro conferebatur, allaturum. Cæsar enim diligentius intellecto Peruuinæ inuentionis negocio, postquam ad eam rem summum attulisse adiumentum Didaci Almagri industriam didicisset, eius virtutis operæq; fidem aliqua imperij portione remuneratam cupiens, Almagri potestati ac diœcesi id dicebatur addixisse, quicquid extra Pizarrinæ Prouinciæ limites erat: cuius rei famam vt in Peruuiam Ferdinandi aduentus attulit, moxq; longè lateq; dissipauit, Almagrus fastu turgidus, & nimium præpro-

pero

pero gradu ad Imperium contendens, Cuſconẽ vt venit, (quòd ea vrbs extra Pizarrini imperij terminos ſita eſſe putaretur) tumultuosè omnia aduerſus Pizarros fratres agere, ſeſe pro Prætore gerere, præhenſare proceres, & largiendo concitando q; ſtudia hominũ ſollicitare cœpit, adeò vt ſingulis ferè diebus inter Almagrum fratres q; Pizarros Iohannem & Conſaluum magno tumultu, & armorum gladiorum q; micantium ſtrepitu res gereretur. Didaco enim ſe Sotus adiunxerat, Pizarris verò plæraque ciuitas ſingulari fide adhærebat. Hoc excitus tumultu Pizarrus, mutatis ad celeritatem iumentis, maximis itineribus Cuſconem contendit, ibique rem omnem ea moderatione pacificauit, vt tantæ leuitatis admiſſæ pudor Almagrum caperet, quod inani rumuſculorum aura confiſus nullo adhuc accepto diplomate vſque adeò pueriliter imperium, quod nondum in manu haberet, præcipiti & intempeſtiua cupiditate deuoraſſet. Sed quum Pizarri aduentu repente omnia priſtinæ quietis ſilentio conticeſcerent, fœdus his conditionibus eſt renouatũ, vt Almagrus ad Meridianæ

Almagri tumultus.

Fœdus & pactum inter Pizarrum & Almagrũ.

ridianæ plagæ scrutandam regionem (quò Chiliaci iam fama cogniti vergebant) proficisceretur, quamq; ea in parte occupare posset, eam Cæsaris permissu Præturæ nomine obtineret, quod si nihil labore dignum inuenire possent, tum ipse ac Pizarrus Prouinciæ fines inter se diuiderent: quo fœdere icto vterq; ad sacram aram proclinans vsitato sacramento fidem astrinxit, se nunquam mutui quicquam dissidij concepturos. Almagrum etiã adiurasse ferunt, nunquam (licet ab Cæsare concederetur) suũ ius litémue his terris se interpositurum, quæ vel centum milliarium interuallo extra Cusconici agri confinium iacerent, quam si fidem impiè frustraretur, asserunt illum adiecisse diuino loquentem corpori (quod sacrata manu ad aram sacrificus porrigebat) vti dignus esset, se corpore animaq; æternis ignibus damnatum supremo supplicio perderet. Sed vel illa horribilis sacramenti magnitudo, vel id reparatum labassantis amicitiæ vinculum nihil ad frænandas Almagri spes valuere, quũ ille imperij cupiditatẽ ita remittere nõ posset, quin eandem postea occasione oblata resuscitaret

ſuſcitaret tanto exarſuram æſtu, vt nec ve teris amicitiæ memoria, nec recentis ſacra menti religio vlla conſideratione atque re ſpectu ſit ſedatura. blandè enim ac molliter inſidioſa cupiditas eſt, quotidiano ſenſim in cremento per imas mentium medullas ſcintil lat, paulatimq; aliquo ſine ſenſu igneſcens in eam demum flammã exardeſcit, vt omnem miſeris in mortalibus cogitatæ rationis vſum reſpectumq; perurat, & ſi quid vſquam adhuc ſani relictum eſt, demoliatur atq; con uellat. Ergo, poſtquam ea pace omnia rectè ſtatuta pacataq; viſa ſunt, Pizarrus Re-

Almagri in Chilia cos expedi tio.

gium eſt reuerſus, Almagrus, vti in condi tionibus præſcriptum erat, in Meridiem iter inſtituit. Fuêre illi præſtò milites ducẽti, ſed poſtea aduentu plurimorũ numerus ad quin gentos excreuit, quibus auxilijs cõfirmatus, quicquid ab Cuſcone ad Chiliacos terræ in teriectum eſt, magnis difficultatibus ac cru entis victorijs peragrauit. Iſthuc enim occur rebant viri proceris corporibus ingentes, hi ſpidiſq; marinorum Luporum pellibus ter ribiles, qui ſagittis, quarum magni artifices erant, tergis lateribusq; euntium frequen-

tiſſimè

tissimè incursabant: præter eas molestias cæteris omnibus ærumnis intolerabilior gelu ac frigoris rigor proficiscentes persequebatur, vsque adeò in omniũ corpora sæuus atque horridus, vt eadem via redeunte Almagro, quod post quinque mentiũ interuallum accidit, ad rupes inuenti sint, vti in equis vi ui consederant, erecto corpore, & manibus adhuc fræna tenentes, vnà cum ipsis equis, veluti adhuc in suo gressu stantibus, gelu constricti. Verùm de hac plaga, populisq; Chiliacis libro primo copiosè diximus. In eo itinere Almagrus Philippillum interpretem è fuga retractum, quam è castris fecerat, quadripartitum dissecuit, feruntq; illum pro morte culpam interfecti Atabalibæ suã esse multo cum fletu confessum. Almagrus cum Cuscone discederet, Mango Guascaris frater cum Paulo Inga secreta consilia seruerat, qua ratione omnibus locis iniecto tumultu Hispanos tota passim Peruuia repentino oppressu trucidarent. Illi enim paternæ potentiæ memores, iuuenilisq; animi ac roboris pleni, pati nõ poterant, se non modo auito deiectos regno, et suam hæreditatem ab exteris atque ignotis homini-

Philippillus quadriparitum.

Mangonis ac Pauli Ingæ motus, & ad opprimendos Hispanos occultæ cõspiratio.

hominibus per vim occupatam, sed se omnesque populares ad fœda seruitia, alienumque viuẽdi arbitrium miserè redactos: propterea celeri & maximè incauta rebellione obruere Hispanos, & ipsum Almagrum, cùm adhuc Cusconе ageret, opprimere decreuerant. Verũ Mango in eo conceptu comprehensus, quum aliquamdiu in vinculis detentus fuisset, apud Ioannem Pizarrum multis precibus tandem impetrauit, vt liberiore in custodia haberetur, posteaq, quũ ipse Franciscus Pizarrus aduenisset Cusconem ob illum, de quo dictum est, Almagri motum, magna ab eo humanitate tractatus atque habitus. Id factũ esse ab Pizarro creditum est, non vt illam modo conceptæ cogitationis nubem ab eius animo detergeret, verùm vt certam sperati auri summã ea benignitate emungeret. Proinde Mango, vbi commodum aliquid impetrandi locum dari vidit, promittens se auream statuam ad patris Gynacauæ similitudinem fabrefactam asportaturum, petijt à Pizarro, vt sibi ad Incæos festi (vti dictitabat) celebrandi caussa proficisci liceret, quod cum facilè obtinuisset, eluso hac fraude Pizarro

zarro emissus statim perficiendo sceleri cogitationes adiecit, à paruisq; cædendi furtis ad magna facinora sensim cogitatam crudelitatem acuere cœpit: mox manu aliqua mediocri ex sibi fidis quempiam ad occupandam Hispanorum munitionem Cusconi vicinam misit, breuiq; ad eam spem respondente euentu, cum insuper Hispanos eam recuperare conatos, interfecto lapidis iactu Ioanne Pizarro, Præfectus fortiter repulisset, ipse non multò pòst ingenti effecto exercitu Cusconem obsedit: certatumq; per integros decem menses magnis & sanguineis contẽtionibus. Erant in vrbe præter Pizarros fratres Duces clarissimi Gabriel Roas, Hermannus Pontius, Alphonsus Henricus, & milites fortissimi, qui ad conceptam venturi propediem Pizarri spem pro salute ac dignitate promptissimè violentæ obsidionis angustias inter quotidianas Barbarorum oppugnationes ferebant. Nouissimè his paulo ante hostiũ accessum Ferdinandus Pizarrus aduenerat, qui, sicuti vel sola aduentus sui fama ob concitatam aliquot rumoribus spem anteà Almagrum permouit, ita, vbi in Pro-

Mangonis conatus & crudelitas.

Ioannes Pizarrus interfectus.

Mango Cusconẽ obsidet.

uinciam appulit, eundem ad ſopitæ cupiditatis impetus reuocauit. Inter cætera enim donata Franciſco fratri priuilegiorum iura, ipſiusq; Prouinciæ fines paulo longius propagatos, Cæſareæ liberalitatis diploma attulit, quo Almagri imperio in ducentorũ milliarium ſpacium regio ab deſinentibus Pizarrinæ Prouinciæ limitibus concedebatur. Hoc vbi ab Ferdinando acceptum Ioannes Errada Almagro apud Chiliacos verſanti attulit, tum verò Didacus ea Cæſaris liberalitate factarum cum Pizarro cõditionum lege excluſum ſe fremens indolẽsq; initæ pactionis dirum pudorem concepit, ſed ſpe deſiderioq; Imperij anhelus omnem dati ſacramenti memoriam abijcit, & incitãtibus Ducum plãriſq; vel contra iuriſiurandi religionem armis repetendam Cuſconem in ea Barbaricæ rebellionis occaſione ſibi proponit. Igitur ſumma celeritate reflexit, Cuſconicumq; vt in agrum venit, relicto Ioanne Saiauedra ad Hurcos (loco id nomẽ eſt) ad Mangonem Barbarorum regem profectus eſt, eumq; omnium ſcelerum promiſſa impunitate ad ſe traducere tentauit, ſed ille doli plenus venire ad

Cæſaris diploma pro Almagro.

Almagrus contra iuſiurandum Cuſconem reait.

re ad se Almagrũ societatis ineundæ caussa iussum propè circumuênit: quando venientem cum paucis ita repẽte inuaderet, vt vix maturè Barbarorum manibus explicare se posset. Hæc dum peragit Didacus, perlata de Almagri aduentu fama in vrbem, Ferdinandus Pizarrus vbi ad Hurcos Saiauedram relictum cognouit, centum septuaginta armatis eductis ad illum processit, colloquioq; cum eodem sociato ferunt Ferdinandum magno auri pondere promisso sollicitasse Saiauedram, vt suos milites, qui ferè trecẽti erant, suæ potestati traderet: verum Saiauedra, vti erat constanti fide ac probitate insignis, noluit ijs postulatis, quæ impiæ proditionis notã inflictura essent, aures adhibere. Nec multò pòst Almagrus ad Hurcos reuersus quatuor Pizarrinos equites per insidias cœpit, ex quibus omnem vrbani status seriem cognouit, audi isq; Hispanorum miserijs, vti ad summam militum paucitatẽ redacti essent Duces, ampliusq; dimidiam vrbẽ igne Barbari absumpsissent, plurimũ hausisse doloris se simulabat, misitq; in vrbem ad Pizarros fratres, proceres q; collegas, qui

Fictus Almagri dolor, & postulata eius.

qui simul minis, simul promißis agitando suaderent, vt se Cæsareo diplomate Prætorem confirmatum Cusconicæ Prouinciæ, quæ procul extra Pizarrini imperij ius esset, gubernatorem pacatè in vrbem reciperent. Id minimè recusaturos se proceres profitebantur, modò Pizarri limitibus exacta dimensione examinatis Cusconem eius imperij fines superare re ipsa testari posset. Ferdinandus etiam aliquam vrbis partem vacuaturum sese spondebat, in quam ipse cum suis recipi ad hospitium posset, modò interea inducarum constare tempus, & rem omnem ad Pizarrum perscribi pateretur. Verùm Didacus, quum nec de metiendi ratione cõuenire posset, & ea Ferdinandum spondere intelligeret, quòd, plæraque militum parte perpetuis certaminibus, vigilijsq; cõfecta, ægrè Barbarorum vim sustineret, suoq; accessu aliqua quotidiani laboris parte leuari cuperet, quadam nocte inter summam Pizarrorum securitatem vrbem improuisò ingressus est: & insignis aliquandiu Ferdinandi atque Consalui fratrum pugna fuit, qui tumultu excitis se expedierant: sed demum his captis & custo-

Almagrus Cusconem capit, & Pizarros fratres cõprehendit.

dia

diæ mandatis, sine aliquo maiore certamine vrbe potitus est, & ea victoria Mangonem profugere procul inde ad Andæos montes coëgit. Hæc omnia longo tempore latuêre Pizarrum Regij agentem, quòd, plena rebellionis Prouincia, Barbari passim vias intentissimè obsidentes & obseruantes non modo omnes nuncios interciperent, sed milites, quos Cusconem mittebat Pizarrus, tanta occidione opprimerent, vt ne casus eiusmodi nuntius elabi posset. Eo ferè modo ducenti Hispanorum equites diuerso missi tempore periêre: primum septuaginta ductante Didaco Pizarro, deinde octoginta duce Cõsaluo Tapia, tertiò multo plures Morgouetio & Catoductantibus. Nã Barbari, obsessis vndequaque editarum rupium cacuminibus, & eò congestis ingentium saxorum aceruis, hoc insidiarum genus seruabant, vt equites nostros proficiscentes in profundas, & montium ambitu septas valles se demittere paterẽtur, actum verò saxorum struem in subiectos prouoluentes, vbi equis oppressis virorum etiam ceruices ac manus miserabili spectaculo contusas fractasq; ad reliquam pugnam planè

Ducenti Hispani Barbarorum insidijs oppressi.

debiles & inutiles reddidissent, fero vlulatu territantes vndequaque decurrerent, & frustrà parantes Hispanos resistere nullo periculo ad vnũ omnes opprimerent. Hac fraude tot Hispanici nominis viris trucidatis, Barbari Pizarrum etiam viribus & copijs exhaustum opprimi posse rati, in Regium agrum se profudêre Franciscum Godæum insequentes, quem Pizarrus, nihil de missis toties auxilijs audiens, ad suorum fortunam cognoscendam triginta cum equitibus miserat. Cum Regio propinquarent, facta eruptione ardentissimè dimicatum fuit, coactiq; sunt Barbari vicinum in montẽ pedes referre, quẽ cum audaciore quam sapientiore consilio Hispani adorti essent, multa vulnera retulere, & ipsi Petro Lermæ, qui erumpentium Dux ante alios auidissimè dimicabat, dentes confractis gingiuis excussi sunt, & aut suo sanguine cruentius certamen fecissent, aut portentosa Barbarorum strage eo die finem bello imposuissent, ni Pizarrus receptui dedisset signum, cædisq; adhuc & sanguinis auidos reduci iussisset. Ita segregato prælio Barbari sacrificijs gratias perma-

Pugna ad Regium.

permagnas Dijs suis habuere, quòd eo die maximo è periculo exempti fuissent: posthæc, castris eo ex loco motis, in impendentem Regio montem concessêre, factisq; ibi munimentis diu & acriter obsidionem, Hispanis viriliter sese tuentibus, continuarunt. At Pizarro, cum ne nuncium vnquam ab fratribus accepisset, tanta repente præter omnem expectationem innumerabilium hostium multitudine circumfusa, quid aut putaret, aut suspicaretur, non satis constabat: modò, extinctis Cuscone fratribus, et ipso Almagro apud Chiliacos cum omni exercitu interfecto, hostes, tota rebellante Prouincia, ad se opprimendum venisse, credere: modò, relictis fratribus, vim omnem in se conuertisse, vereri: minimè verò, id quod erat, Almagri perfidiã tanti motus causſam esse, suspicari poterat. His anxius curis celeriter in oẽs partes literas ac nuntios ad ciuitatũ præfectos destinat, suas etiam naues Panamaidem cum omni sexu imbelli, Agathoclis Siculi & Alexandri Magni exemplum sequutus, remittit, vt omni effugij spe interrupta Hispani præterquam ab dextris animiq; constantia

Barbari Regium obsident.

Pizarri sollicitudo.

salutem nusquam expectandam putarent: eadem via celocem ad Trugillanum Præfectum mittit, scribitq; ad Alphosum Aluaradum (quem anteà ad Cichapoiades ablegerat) vt quot posset militibus Trugillano sese coniungeret, amboq; clam tum ea, quã Trugillum misisset, celoce sibi primo quoque tempore, quos possent pedites equitesq;, auxilio adducerent. Nec Alphonsus ad maturandũ Pizarro subsidium quicquam moræ fecit, Trugillumq; vt venit, omnia ad rem diligenter composuit, ac militibus deinde nauigio impositis breui Trugillo Regium magno exceptus gaudio peruênit eodem propè momento, quo Barbari, incertum qua de caussa, fortè quod de auxilio aduentante audiuissent, Regino agro excesserè. Liberata graui metu vrbe, extemplo Pizarrus, vt quis casus res fraternas ageret certius cognosceret, Aluaradum cum trecentis Cusconem mittit. Hic duplicem in itinere cum Barbaris pugnam fecit, priorem victor, alteram dubio Marte, in solitudines q; progressus quingentos ferè seruos indigenas siti amisit, maximam militum partem amissurus, ni citati equites vel ex remo-

Alphonsi Aluaradi industria.

Aluaradi cum Barbaris pugna.

remotioribus locis aquam petitam aduexissent. Inde in Sausanos tãdem emersum campos consequutus est Gometius Tordous, quẽ post illum cum ducentis Pizarrus miserat, quibus acceptis auxilijs Aluaradus ad Auancæum amnem (de quo primo libro dictum est) processit, vbi in vinculis esse Pizarros fratres, omnemq; rei gestæ seriem cognouit, sed ita Didacus Almagrus Cæsarei diplomatis tabulis confidebat, vt vbi Aluaradũ aduenisse accepit, mitteret legatos, qui iuris sui rationem demonstrãdo ad consensum trahere conarentur: verùm Alphonsus id perfidiæ omen detestatus, non his modò aures minimè applicuit, sed in castra venientes, dicti tans ea de re agenda nihil se in mandatis habere, detineri iussit: quamobrem iratus Almagrus, eductis Cuscone copijs, & leui commisso ad amnis pontem prælio, castra Aluaradi inuasit, prodenteq; amnicam stationem Petro Lerma, fusis cæteris Alphonsum cæpit. Ex præfecturæ enim grauissima obtrectatione Lerma Aluarado obscurè inimicus erat, quod illum Pizarrus ad summi imperij dignitatem, qua ipse antea functus fuerat, se amo-

Alphonsus Aluaradas ab Almagro capitur.

se amoto sustulisset: quam contumeliam ita altè in animū demiserat, vt eius vindictam oportuno tempori reseruaret, ac iam demum in ea Didaci irruptione perficeret. At Almagrus ea vel infami proditione victoria potitus, vbi Cusconem redijt, vsq; adeò Barbaricæ arrogantiæ vela distendere cœpit, vt captiuos contumelioſè exciperet, propalamq; iactaret se propediem effecturum, vt ne nomen quidem Pizarrorum vniuersa in Prouincia nosceretur. Pizarrus interea acceptis, quæ expectarat, auxilijs, adhuc rerum, quæ Cusconę gererentur, ignarus, ad bellum in Barbaros gerendum copias Regio eduxit, in quibus septingenti Hispani erāt, profectusq; in Nascones (qui supra Regiū viginti quinq; passuum millibus absunt) ibi demum, quæ ab Almagro gesta erant, cognouit, atque incredibili, vt par erat, stupore perculsus Regium (quod tantū aduersus Barbaros sese instruxisset) reuersus est: primumq;, antè quàm ad belli cogitationes decurreret, veritus ne Cæsar ciuili contentione iratus vtrique Prouinciam abrogaret, & alienum cum magna sui laboris contumelia ingereret, ad Almagrum

Almagri superbia.

grum Elpinosam misit, qui noua trãsactione rem componere experiretur, ipsumq́ veteris sacramenti admonitum doceret, procul omni dubio futurum, si indecora contentione viris eadem patria ortis inhonestas, & ipsis imprimis non veteris modo familiaritatis, sed recentis etiam fœderis religione sibi mutuo obnoxijs indignas de imperio digladiationes serere nullo pudore verecundiaq́ pristinarum necessitudinum tacti inciperẽt, vt iure concitato Cæsare (se omni principatus ac nominis dignitate infami repulsa deiectis) alieni præmia laborum suorum, factæq́ tanto periculo messis fructus contumeliosa successione prærepturi essent. Quod si his monitis nihil proficeret Elpinosa, ab Almagro petere iubebat, vt saltem fratres perfidiosè captos custodia emitteret, & se pacatum Cuscone contineret tantisper, dum lis omnis Cæsaris æquitate componeretur. Verum nec his postulatis, quæ satis moderata erant, nec summa Elpinosæ facũdia Almagrus ab sententia deduci, & ad salutaris concordiæ animum flecti potuit, superboq́ ore quælibet reijciens Cuscone suos educit, & ibi constituto

Pizarrus Almogrũ ad pacem sollicitat.

Præfe-

Præfecto Gabriele Roa, eiusque tutelæ Consaluo Pizarro, & Alphonso captiuis demandatis secum Ferdinandum Pizarrum assumens in maritimam regionem descendit, & suprà Regium viginti millibus passuũ consedit, vbi Prætoriana authoritate designato in loco Coloniam cõstituit. At Pizarrus, inexpectatam truculenti hominis perfidiam execratus, Regium vt redijt, sibi necessario sumendum bellum ostendit, & minimè omittendam sui tutelam aduersus Almagrum, qui ex amico violatis ac ruptis fœderibus crudelis hostis factus omnem concordiæ renouandæ mentem exuisset, sed postulata sua contumaciter aspernatus se euertere, concessaq́, & manu fortiter occupata demandatæ Prouinciæ possessione priuare contenderet. Hoc rumore in vulgus edito dilectum quàm potest maximum habet, milites recensет, manipulisq́, centuriatis Duces ac Præfectos constituit. Imprimis, quia tum magnus tormẽtorum numerus aduectus erat, his Petrũ Vergaram præponit, qui eadem asportanda curarat, hastatos Didaco Vrbinati viro audacia virtuteq́, insigni committit, Equitibus Dida-

Pizarri bellicus in Almagrum apparatus.

Didacum Roam, Peranſurem & Alphonſum Mercadillum fide & fortibus dextris egregios præficit, ſed ſecundum ipſum imperij ſumma ad Petrum Valdiuiam reſpectabat, qui vti authoritate, ita virtutis exiſtimatione reliquos Duces excellebat, & narrandis adhuc prælijs inclareſcet. Hæc proſpicienti Pizarro læta res accidit. Conſaluus et Aluaradus tumultu ex carcere emerſi ipſum Gabrielem Roam, in cuius ipſi modo cuſtodijs fuerant, ludente fortuna captiuum adduxerunt, quorum aduentus magnam inter milites lætitiam & alacritatem excitauit, ſtatimq; Pizarrus ad Conſaluum ſingulari fraternæ neceſſitudinis & exercitatiſſimæ virtutis prærogatiua id meritum Imperij ſummam amoto Valdiuia tranſtulit, & Aluaradum ſuprema equitum præfectura affecit. Tum verò Almagrus captiuos elapſos, & potentiam Pizarri cõſpicatus, iamque vrgente metu in ſummi diſcriminis propoſiti cogitationem animum conſideratum recipiens Alphonſum Henricum, & Didacum Mercadum, ac Ioannem Guſmannum ad Pizarrum legatos de re componenda miſit. Habita

Conſaluus & Aluaradus è carcere erumpunt.

bita deliberatione litis dijudicandæ sedandæq; cura Francisco Bouadillæ cucullati ordinis viro permissa est, atque is ita censuit, vt ante omnia vinculis liber restitueretur Ferdinandus, & Didacus omnino rem Cusconicam integrā inuiolatamq; Pizarro redderet, copiæq; vtrinque in alias adhuc inexploratas regionis partes mitterentur, omnisque negocij Cæsar certior fieret, quo ipsius iudicio, quicquid in controuersiam veniret, componeretur, deinde Imperatores in mutuum conspectum colloquiumq; prodirent. Eas conditiones cū ne Almagrus quidem auersaretur, statutus est colloquio locus inter vtraq; castra medius: verum Consaluus, cui fraudulenti hominis perfidia altero exemplo minimè experiunda videbatur, profectum cū paucis ad colloquium fratrem Pizarrum clandestino agmine subsequutus est, iussitq; Castrū virum impigrum cum delectis sclopetarijs clàm locum insidere, quem Almagro ab colloquio redeunti transeundum sciebat, vt si is plures, quam cōstitutum erat, adduceret, aut aliquam institutæ fraudis speciem daret, extēplò ex insidijs inuaderet. Didacus etiam,

Consalui in Almagrum insidiæ.

veluti

veluti iam suspicionis plenus, Rodericũ Orgonium instructo agmine diligenter inuigilare atque circumspicere iussit, vt si quo dolo agi videret, expeditus adesset, atque eandem Ferdinando vim inferret, quam sibi inferri videret. Ita vti colloquium parum fideliter initum fuit, sic minus syncerè Principes in colloquio se mutuo cõplexi sunt, & vix dum sermone aliquo de præcipuis rebus habito renunciatum Didaco fuit, vt se reciperet, quòd tumultu Consaluiani propinquãtes iam imminerent: quo perculsus nuncio Almagrus infecta re in castra per medios insidiatores quietè se continentes recessit: & quanquam de eius doli iniuria plurimum quereretur, tamen Didaci Aluaradi impulsu his conditionibus Ferdinandum dimisit, vt Pizarrus portum aliquem sibi concederet, & naues aliquot impertiret, quibus literas nunciosq; in Hispaniam ablegare atque recipere posset: deinde vt neuter aliquid prius nouaret, quã res Cæsaris constitutione sedata esset. Multũ diuq; id Ferdinandi dimittendi consilium Orgonius dissuaserat, quòd illum indignius, quam virum Principem decuisset, habitum, simulac

Colloquiũ Pizarri & Almagri parum candidum.

Ferdinandus dimittitur.

simulac dimissus esset, vindictæ non immemorem fore putaret, atque idcirco, vti in omnem crudelitatem præceps erat, nõ modo non dimittendi illius, sed interficiendi præcipuus author fuerat. Vix hæc instituta erant, cum repente Petrus Ansur superueniens Cæsaris literas attulit, quibus ijs quisq; locis dominari iubebatur, qui ea primũ inuenisset atq; occupasset, etiam si eorum limites in alterius diœceseos fines pertinerent, idque tantisper fieret, dum rem accuratius excussam Cæsar planè dijudicasset. His literis fretus Pizarrus, &, quòd exemptum periculo fratrem haberet, audacior factus postulauit ab Almagro, vt ex earum literarum mandatis Cuscone cederet, & ijs omnibus locis, quæ à se primum occupata & Colonijs inductis culta constaret: imò non modo se pariturum dicere Didacus, nempe ea tenendo loca, quæ quisque obtinuisset, sed ex earundem literarum authoritate cupere, vt se Pizarrus suo in statu, dum extremo Cæsaris iudicio finiretur contentio, pacatũ relinqueret, nec præcipite bello prouocaret: contrà literas interpretari Pizarrus, demonstrandoq; vti Cu-

Lis inter Pizarrum & Almagrum.

sco

sco cum ea regione primum abs se occupata esset, iubere vt Cuscone agroq; vicino excederet, quem sibi vi contra pacta, ac iusiurandum proditorie atq; nefarie eripuisset: quod ni faceret, testari nihil iam apud se veteris amicitiæ ius valiturum, ipsumque pro amico hostem, pro familiari proditorem veneficum habitum iri. Has minas cũ adhuc parui Didacus videretur morari, in illum copias Regio eduxit, cuius aduentum minimè Almagrus expectare ausus Cusconica via refugere cœpit, in itinereque ad iter Pizarro venturo intercludẽdum ruptis atque obseptis vijs celsiores rupes munitas occupauit: sed Ferdinandus Pizarrus, qui cum expedita manu fugientis vestigia extemplo sequutus fuerat, secretiore calle in montes perueniens Didacianos deiecit. Tum Almagrus Cusconem properans, vt nihil ea profectio fugæ simile haberet, simul vt hostis insectabundus nihil detrimenti postremis inferret, nouissimo agmini Orgonium ad tutelam relinquit, & maximè compositis ordinibus iri iubet. Hic vt ex interceptis duobus equitibus instare Pizarrum cognouit, celeriter abire contende-

Pizarrus in Almagrum.

Fugit Almagrus.

bat, quanquam plærique ferè hortarentur vt signa sisteret, & conuerso agmine hostes magna ex parte tyrones, & laborioſis montium callibus insuetos haud dubiáq; ob id fatigatione debilitatos & valetudine etiã male affectos fidenter adoriretur. Verùm quanquam ad id audax ac forte consilium per se generosus esset, tamen ne præter Almagri præscriptum ordinem faceret, id cœptum neglexit, cùm tam vera, quàm vtilia suaderentur. Nam eadem de cauſſa Pizarrus, ne insequendi pertinacia hostes ad repetendum certamen irritaret, omissa insequutione in maritimam regionem receſsit, cùm interea Didacus continente fuga Cuſconem abruptis omnibus pontibus peteret. Ibi verò bimestre nactus ſpacium ſumma diligentia, quæ ad instans pertinerent bellũ, viros, arma, equos tormentáq; cõparauit. At Pizarrus eodem ſpacio satis ab ea fatigatione exercitu refecto, poſtquam multum diuq; cum ſuis deliberaſſet, quid facto opus esſet, tandẽ conſtituit vt Ferdinandus atq; Conſaluus fratres Cuſconem cum exercitu proficiſcentur, dicundi iuris prætextu ciuibus nonnullis, quos Almagrum

Almagri in Pizarrum apparatus bellicus.

magrum bonis seruisq; indigenis spoliasse aiebant. Hi ergo profecti, vt in agrum Cusconicum peruenêre, in edito monte castra locarunt, postridieq; summo mane collem, vrbanæ munitioni proximum occupare decreuerant. Verùm Rodoricus Orgonius facile vrbis discrimen prospiciens, si hostes propinquius aduenire pateretur, vixdum cœlo inalbescente in campũ cum omni militum suorum multitudine processit, & vt atrocis odij vindictam euomeret, quoscunq; Pizarri studiosos sciebat, duobus in locis vrbanæ munitionis ita includi iussit, vt multi spiritu mutuo habitu impedito, & eo intolerabilũ angustiarum compressu planè obturato veluti strangulati miserè interirent. Huic Almagrus imperij summam, supremamq; suæ salutis curam tradiderat, quòd ipse à rebus gerendis vehemente morbo prohiberetur: is igitur, cum eo die fortunam publici imperij festino prælij vnius euentu periclitari decreuisset, in campo aciem instruxit. Equitibus præerant Franciscus Chauesius, Ioãnes Tellus, ac Vincentius Queuara, qua parte collibus propinquior acies stabat, adiunctæ erant

Rodorici Orgonij cruelitas.

Hiſpanis Barbarorum aliquot cohortes, alterum latus palus & riuus decurrens tuebantur. Pizarri fratres, quibus maximè in animo erat prælium ſubterfugere, & Hiſpano ſanguini parcere, vt ſibi neceſſariò dimicandum vidêre, ipſi quoque egregiè ordinato agmine ab monte deſcenderunt: ante omnia Ferdinandus Mercadillum cum velitibus prouolare iubet, ſimul ad Barbaros impedien dos, ſi forte deſcendẽtibus moleſti eſſe vellent, ſimul ad ſubſidium, quò ferret neceſſitas, adferendum: ipſe cum hippoſclopiſtis, cæteraq; equitum turba ad paludẽ riuumq; contẽdit, quæ dum Equites, tenaci adhærentis luti vo ragine paulò impediti, ſuperare laborant, celeriter Sclopettarij tranſcurrêre, Petroque Valdiuia maximè ei facto arridente, & cohortante, eum ſubito imbrem glandium ferrearũ ſolutis Sclopettis in propinquã quandam Didacianorum equitum cateruam excuſſêre, vt cedere cogerent, inter quẽ ſuorum hoſtiumq; tumultum Ferdinandus, à palude riuoq; ſuperatis, recta in hoſtilem aciem proceſſit, ſolertiſſimè ſingulos Duces deſtinati officij præmonens, ac præſcribens: militum verò

Ferdinandi induſtria.

verò vulgus tum vim, iniuriam, atq; perfidiam, cuius nomen omnibus gentibus execrabile sit, Almagri prædicando, simul ingratitudinem atq; auaritiam obijciendo, nõ longiore oratione cohortatus est, quam vt pristinæ virtutis meminissent, et qua Peruuinam regionem occupassent, nunc eadem ab occæcati hominis libidine fratri sibiq;, quorũ ductu diuites ac opulenti facti essent, & tot memorabilia præstitissent, fortiter fideliterq; vindicarent: hæc se veteranis dicere, tyrones eorũ virtutẽ gloriamq; pari strenuitate adæquare contenderent, putarẽtq; ipsum Pizarrum Imperatorem in oculis versari, & vniuscuiusque virtutis spectatorẽ adesse, modò si fortem, & quòd Dij non inanes æquitatis fautores dare vellent, victricem operam nauarent, merita omnibus præmia liberalibus stipendijs & donatiuis adiunctis daturum. Ad ea conclamantibus militibus ita se pro virili facturos, Ferdinandus hostium hastatos erectis stare hastis conspiciens, in earum syluam ab alto Sclopettarios iaculari iussit, ita factum est, vt bino vnanimi omnium displosu amplius quinquaginta hastæ cuspidi-

bus arbreptis sternerentur, multiq; vel ante prælium inermes fierent, nõ obscuroq; pauore fluctuare inciperent, quod conspicatus Orgonius præliũ Duces accelerare, & inclinatis hastis impressionem facere iubet, quos deinde vt etiam ad imperata segnes vidit, ipse alta quoslibet inclamans voce, & Deos homines q; in prælium inuocans in eam partem, ante quam præ cæteris tendentem Ferdinandum videbat, equum concitatum admisit, eoq; omni cornu promptissimè Ducem sequente, cum eodem impetu suos inducerent Pizarri, præferuido certamine vtrinque signa inferri sunt cœpta. Nec tam militũ, quàm Ducũ insignis pugna fuit, nec tam virium quã animorum contentio extitit. Pizarrinos violatæ fidei indignitas, publica iniuria, & minæ perfidæ, priuata etiam contumelia teneratæ in vinculis acerbitatis fratres vrebant, Didacianos superbia Pizarrorũ, insolens contemptus, adhæc nisi in victoria salutis posita spes veluti altera stimulorum æmulatione accendebãt: & quo simultatũ ardore magis, quam decoris studio certabatur, ita, maior crudelitas erat. Hæc mens admirabili obstinatione corrobo-

Orgonij serotia.

Pugna ad Cusconem.

corroborata cũ plæriſq; eſſet, diu pugna neutro inclinata ſtetit à primis ad medios æquo ſanguine vtrinq; cruenta peruaſit. Cõſaluus enim atq; Aluaradus præſentẽ diẽ ſuæ vindictæ idoneũ rati Orgonio irrumpente pari vi & ipſi in hoſtes prorupere, omnemq; eam audaciſſimorũ iuuenum frontẽ amplius quinquaginta interfectis fortiſſimè diffrigêre ac lacerarunt, ipſe autẽ Orgonius quanquã primo ſtatim prælio glande læthaliter in fronte ictus fuerat, & ante prælium multorum languore iam propè deſereretur, tamen & vulnere, & ſuapte iracundia furibundus primæ cateruæ nodum audaciſſimè perrupit, duoſque haſta transfixit, & tertio habitu inſignior (ipſum eſſe Ferdinandum ſuſpicatus) gladium aduerſum per os adegit. Verùm cum fruſtra effluentis ſanguinis defectu labaſſans corpus, & irrepentem iam mortem ferocia ſuperare conniſus omnino viribus deſtitueretur, et nihil amplius ne quicquam fremens poſſet, ſeſeque ob id duobus militibus dedere compelleretur, alius, qui ab eo iniuria fuerat aliquando affectus, inuiſam noſcitans facie, increpando optãdoq; vt ne vllus hoſtis eua- Orgonij cades.

euaderet, sed simili casu perirent omnes, ingenti verbere ceruicem discidit. Nec vel in pugna vel in fuga fœliciorem Didacianorum quisquam sortem adeptus est, quanquam Ferdinãdus multas in partes discurreret, & precabũdus inexorabilem militum furorem reprimere ac mitigare cõtenderet. Alphonsi enim Aluaradi milites, ad vindicandam ad Auancæũ acceptam ignominiam, vt diu collectam hostilis hauriẽdi sanguinis sitim abundissimè satiarent, vsque adeo implacabili & immoderata insequendi cædendiq; Didacianos auiditate consectabantur, vt omnibus nobili ignobiliue immanissimas manus inferrent, & in ipsos, qui ab aliquo accepti in fidẽ erant, truculẽtissima occidione sæuirent, eaq; ratione magnæ virtutis præfectus Rudias deditus, dum fræno equi tenetur, ab altero hasta miserandum in modum sit trãsfixus. Almagrus ab edito loco prælium conspicatus, vbi rem suorum fuga deploratam agnouit, in vrbanam munitionẽ refugit, ibiq; ab Alphonso Aluarado atque Pizarro captus est. Pugnatum est anno tricesimo octauo quarto calend. Maias: præda ferè omnis in Barbaro-

Aluaradiorum in Almagrianos ira & crudelitas.

Capitur Almagrus.

barorum manus deuenit, qui Hispanis fugientes consectantibus ad semineces conuolantes exuuias detraxerant: nec tristius miseriæ exemplum accidit inter varia crudelitatis genera eo die immitissimè per iram perpetrata, quam in eorum vitæ exitu, qui subita morte non penitus interempti, sed in campo, vti vulnerati erant, relicti fuerāt, quum illi semiexanimes, ægroq; halitu penè enectū trahentes spiritum, inter cruciatus pœnasque innumerabiles sensim pigram et vitæ pertinacem animam miserandi exhalarent. Ab ea pugna, quæ cæterorum ciuilium bellorum seminarium fuit, victor Ferdinandus omni benignitatis beneuolentiæq; genere Didacianos delinire, & vniuersis pacatæ humanitatis lenocinijs permulcere, & talibus artificijs allectos ab omnisq; diffidij ac belli memoria alienatos, in suam gratiam pristinamq; concordiam ac societatem irretire studebat. Affirmabat enim omne iniuriarum initium ab Almagro profectum, ab eoq;, quum inusitatæ audaciæ superbiæq; vestigijs, omnem transigendi modum respuens, inhæreret, fratrem propè inuita Minerua ad id bellum in-

Res miserabilis.

Ferdinandi in Almagrianos humanitas

famiæ ac damni vtrique plenum esse pertractum : idcircò postquam primi perturbatores, & ipsa seditionum capita dignas impia confidentia accepissent pœnas, suam fratrisque iram in ipsos, quos fortuna pietati amicitiæque reconciliandæ superstites conseruasset, non longius processuram, si tam piè Christianeq;, quàm ipsis vniuersæque Prouinciæ vtiliter odiorum obliuisci, &, quod veternos amicos, patria cognatione affines, Christiana pietate fratres maximè deceret, interiunctis syncerè dextris in veterem gratiam, pacẽ, familiaritatem et omniũ rerum coniunctionem cum fratre, ac se, cunctisque Pizarrini nominis vltro inuitati atque recepti redire vellent. Verùm Didaciani, vti ex ipsius Ducis ingenio desperatæ contumaciæ atque acerbitatis homines erant, postquam inflicta ignominia accessissent, tantum odium in Pizarrinum nomen conceperant, vt non modo ad vllas pacis cogitationes, vel in tanto victorum metu se flecterent, aut aliquam societatem percuperent, verùm cum Pizarrino nomine interneciuam nouercalis odij flam-

flammam sibi perpetuò fore, donec ad alterutrius gentis nominisque excidium exarsisset, metuendo pallore luridi, & insidiosa hypocrisi taciturni, maximeque ab omni Pizarrinorum familiaritate & commercio refugi, certissimis argumentis declararent. Enimuero vti venusta delicati vultus forma carcinomate læsa, aut longiore febri labefacta, turpiore præ cæteris commutatione fœdatur, nec vnquā vel vllis curationum remedijs ad veterem gracilitatis decorem perducitur, ita alta necessitudo quibusdam irrepentium odiorum caussis concussa grauiore quam in reliquis solet, mole simultatis exurgit, nullaque vel intimæ reconciliationis gratia ad pristinum candoris affectum post odia applicatur. Nec verò Didaciani ab omni pacis animo auersos modo se præbebant, sed noua in dies clandestinarum insidiarum commenta apparebant, quibus inopinatò Almagrum ab Pizarrorum manibus eriperent. Quapropter Ferdinandus nullum quietis locum, nullam concordiæ viam fore conspicatus, dum Almagri vita spes adhuc eorum tene-

teneret incolumes, indomitæq; ferociæ animos conseruaret, optimum iudicauit è medio Didacum tollere, tunc facilè insanabiles omnium spiritus concisuros, publicamque ortæ contentionis turbationem remedij capacem fore ratus, postquam ipsum caput tanti mali principium non inani conturbatæ Prouinciæ piaculo, veluti hostia, concidisset. In illũ itaque accusatione ex more præstructa, quòd contra fidem è Chiliacis reuersus armata vi Cusconem irrupisset, eamq; pro crudeli arbitrio occupasset in omnes sæuitiem exercens, qui vel hiscere cũtra ausi fuissent, quòd Reginum in agrum armato exercitu peruenisset (quem absque vlla dubitatione fraterni imperij limites esse constaret) Didacum, vti perduellij reum, dãnat, frustraq; excusationes moliuntem, & ingrata commemoratione pristinos amores, necessitudines, Peruuina in exploratione adiumenta Pizarro exhibita, & in ipsum denique, quum suæ potestatis fuisset, aliisq; ad interficiendum se incitarent, præstitam benignitatẽ, multaq; id genus simillia in memoriam redigentem, iugulandum ministris commisit, indigno certè consilio, si ad ip-

Accusatio in Almagrum.

Didacus Almagrus ingulatur.

ad ipsius Ferdinandi naturam fiat respectus, quòd in omni vitæ actione quum omnis moderationis clementiæq; famam quæsiuisset, illiberali nunc & prope ingrata veteris amicitiæ obliuione summæ virtutis virum, & cunctis Hispanis charissimum, à quo ipsi etiam summa ornamenta accepissent, in tanta venerabundæ senectutis canicie sexagenarium morte afficeret, indigno, inquam, consilio, sed, vti ipsi videbatur, ad parandam quietem necessario: & si ad extremi casus euentum referatur aspectus, maximè fatali, quando in hac Almagri cæde Ferdinandus Græci versus patrem interficientem etiam liberos obtruncare ad vltionem euitandam iubentis (modo id viro Christiano dicere ac facere fas sit) parum se memorem aut gnarũ, iuniori Almagro parcens, demonstrarit, quod ipsi imprimis Pizarro funestum fuit. Post Didaci necem Ferdinandus vt tanta hominum turba liberaretur, Didacianosque imprimis, à quibus sibi suisq; grauissimè timebat, separaret, & procul extra Prouinciam contruderet, diuersis sub Ducibus varias in partes ad occupandas vicinias, populosq;

Νίκωνος ὁς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει.

los q̃, adhuc incognitos explorãdos misit. Ipse in Collaones, proximaq̃ Titicacæ paludi loca, de quibus primo libro est dictum, cõcessit, suppliciumq̃ de Didaciano Duce Mesa sumpsit, qui improuida iactatiõe turbas isthic mi scere fuerat conatus. Hæc dum agit Ferdinandus, fama literisq̃ excitus Cusconem aduenit ipse Pizarrus, ad eumq̃ idcircò celeriter rediit Ferdinãdus relicto in Collaonibus Consaluo, vt terram eam vlterius exploraret: verùm quum hic ad Charcantes perueniens repente ab Barbaris circumuentus in magnum periculum incidisset, breui Cusconẽ retractus est, compulsusque fratri subito auxilio succurrere. Postquam copias coniunxêre, depulsis & victis Barbaris, longè lateque terrã omnem depopulati sunt, frequentibus etiam prælijs cũ Barbaris per insidias insultãtibus dimicarunt, quoad demum Tizim eius terræ regulum cœpere, quo capto Cusconem reuersi sunt, lætissimeque ab Pizarro accepti. Hunc in modum Prouincia latè quieta, sicuti antea fuerat constitutum, ad dirimendam dissoluendamque tantæ multitudinis turbam, Duces qui præci-

præcipui nominis ac maximè fidei habebantur, varias in expeditiones misere. Procellus ac Vergara ad veteres suas sedes, quæ apud Braccamoros erant, redire iussi, Mercadillo alia plaga designatur, Petro Valdiuiæ, quod ea terra insignem virum postularet, Chiliaci, cum omni tractu, quem iam Almagrus aperuerat, attribuuntur. His rebus curatis Pizarrus Regium est reuersus, et Ferdinandus alteram nauigationem ad Cæsarem in Hispaniam suscepit, vt eundem rerum gestarum certiorem faceret, & primas belli ciuilis caussas aperiret, quanquam multi ab eo consilio plurimum alieni viderentur, quod quo animo Almagri cædes acciperetur, incertum esset. Verùm Ferdinandus instituto innixus, quum discederet, fratrem Pizarrum admonuit, vt accuratissimo prospectu sibi ab Didacianis caueret, eisque nullam conuenticulorum potestatem, aut fidei locum relinqueret, persuasumque haberet certissimè tum de ipso tollendo machinas excuti, postquam vel sex tantum numero in cœtum subijsse videret. Nō multò post Ferdinādi discessum fama in

Ferdinandi secundæ in Hispaniam profectio.

Pro-

Prouinciam perlata est, esse ad Quitonicæ plagæ orientem terram auri, & cinamomi imprimis prædiuitem: quam ad famam Pizarrus excitatus eò Consaluum fratrem mittere constituit, quodq; ab Quitone inchoari iter, & eodem reditum fieri oporteret, eius Prouinciæ curam, modo Cæsar cõsentiretur, fratri attribuit. Ergo vbi Consaluus Cuscone Quitonem peruenit, quæcunque ad commissam expeditionem vsui essent, singulari diligentia comparare cæpit, rebusq; demum omnibus præparatis cum ducentis delectissimæ armaturæ militibus, & quatuor Peruuinorum millibus, magnoq; armentorum ouiũ ac porcorũ grege Quitone discessit, & satis lõginquo itinere vbi ad Quissonũ terram accessit, leue cũ Barbaris certamẽ fecit: sed his fuga per noctem euanescentibus, dũ isthic dies aliquot quiescẽdo consumit, magnum in metum periculumq; deuenit. Etenim fulminum tonitruũque tempestate concussa ventorum procella vsque adeo horribili fremitu & turbine ipsa intimæ terræ viscera, cæcasque cauernas perscidit atque permouit, vt eo in loco tellus horrendo motu tremiscens, atrisque hiati-

Terracina momi.

Consalui Pizarri expeditio in cinamomi terram.

Terribilis terræ motus.

biatibus concidens amplius quingentas Barbarorum mapalium domos absorberet, & ipse Consaluus cum suis non in dissimili discrimine versaretur, in quo Antiochiæ ex eiusdem tempestatis casu Traianum fuisse memi nit Cassius Nicæus. Quapropter subito Consaluus diras relinquens sedes, asperius per montium iuga iter cœpit, longoque labore ac via ad Sumaxidem regionem peruenit. Hæc erat terra, in qua cinamomum esse fama docuerat: id in arboribus crescit frondes lauro persimiles habentibus, fructus baccæ sunt in folliculis tenui corticum circuitu conclusæ, eæ cum folijs ac radice arboris, cinamoni odorem, saporem, substantiamq; habent, sed his longè præstantius Cinamomum præbent eorum folliculorum cortices circumductæ. Harum arborum permagna hic copia passim crescit syluestribus ac desertis in locis, solo terræ aërisq; adiumento sustẽtata, eæ verò, quas in hortis enutritas incolæ peculiari opera fouent, multò præstantioris sunt naturæ, & ab ipsis Barbaris incomparabilis precij habentur, ita vt non raro fundos, ædes, vestimenta cæteraq;, quibus egent, harum permu

Cinamomum vbi & quo pacto crescat.

tatione acquirant. In hac terra relictis tenerioribus, cum saniore ac valentiore militum parte Consaluus ad vias quærẽdas per montana contendit, variosque post errores, & diuersas famis sitisque toleratas ærumnas, quod Barbari viarum Duces consultò nostros sæpenumero in contrarios calles seducerent, ad Cocam egregiam inter Barbaricas vrbem peruenit, atq; isthic propè bimestri spacio moratus dum eos, quos in Sumaxide reliquerat, expectaret, demum hi postquam incolumes acceßissent, Coca abceßit, & graui multorum dierum itinere ad ingentem amnem progressus, eundẽ, derectis per Sclopettarios Barbaris, qui altera in ripa sedebant, transiuit, indeq; per varias montani tractus terras, ac populos digressus ad alterum amnem omnibus, quos ea in profectione viderat transieratq;, altitudine ac rapiditate superiorem inter summas inopiæ angustias peruenit. Ibi, quò vtraque ripa pro arbitrio vteretur, & impedimenta commodius corporibus q; ægri veherentur, ipsique rectius curari possent commeatus, nauigium maiore, quàm dici ac credi queat, labore constructit.

Nam

Nam, quum ignota in regione procul à domo versans nullam ferè præter lignum ex arborum caudicibus fabrefactum materiem adipisci posset, necesse habuit mortuorum equorum vngulas sumptas ad ferri vsum cudere, & pro pice ratem resina ac visco arboribus defluente illinere, ad ignesq; excitandos pro stupa ac lino indusiorum assiduo pluuiarum madefactu putrescentiũ scrutis vti. Ipse non modo nulla in re sibi parcebat, sed ante gregarios quosque ad cudendum ac fabricandum promptiorem prioremq; sese præstabat. Hoc tandem modo nauigio constructo, magna aliquandiu ad itinera superãda, parandosque commeatus facultas Hispanis fuit, modò ab flumine per montana, modò per varia arundineta amni proxima ibãt, vias sibi gladijs securibusq; moliuntes, modò, vbi aruariuis atq; fluuio inundante contecta erãt, nauigio persulcabant: qua ratione quũ ducentis amplius millibus progressi fuissent, Consaluus nihil adhuc præter radices, fruges que syluestres delicatioris cibi inuentum conspicatus, ad alios commeatus inuestigandos cum nauigio Franciscum Aurellanum

Consaluũ indastria.

præcurrere, & ratem, si quid inueniret, onerare, & vbicunque amnes per aruamedia delabi sentiret, ibi minores lembos relinquere iubet, locum etiam designat, ad quem sese expectaret. Aurellanus ab Consaluo digressus ad constitutum locum breui secundi amnis vehementissimo impetu rapidissimè nauigio deuecto peruenit, sed nullo commeatu inuento, vbi plus se tridui spacio amnis secundo fluxu prouectum vidit, quam per aduersum toto anno per helciarios conficere posset, quo fors fortunaq; deferret, itinere cõtinuato proficisci, & suismet auspicijs audere aliquid constituit, atque ita Consaluo prodito nusquã lembos, sicuti iussus erat, relinquens, decurrere cœpit, ac tandem Occidentalem in Oceanum per eiusdem amnis ostia incredibili celeritate, immensissimo itinere confecto, deuectus est. Id vastissimæ longitudinis, ac rapidissimi cursus flumen Maranium vocant, ab Maranio viro, qui in illo primum nauigauit, in extremis Peruuiæ finibus infra Quitonicos montes oritur, cursuq; deiecto amplius citra meandros septingentas leucas conficere creditur. Aurellanus ad Cæsarem inde

Aurellanus Consaluum prodit.

Flumẽ Maranium.

inde profectus est, narratoq; euentu suo, & multis rebus de terris populisq; nouis iactatis, vt eam regionem ipse occuparet, & sub Præturæ nomine possideret, impetrauit: sed eius imperij cõmodo, perfidiæq; patratæ fructu diu lætari non potuit, quum reuersus ab suis omnibus laborum magnitudine deterritis repente sit destitutus, & ipse eam ob rem dolore atq; desperatione in ipso præclari conatus limite deformiter interierit. At Consaluus, vbi ad constitutum locum accessit, videretq; Aurellani fraudem ac perfidiam, Hispani omnes excelsos adhuc animos in pedes demisêre, cunctisq; mox visum fuit Quitonem, vnde iam quadringentis amplius passuũ millibus aberant, vel per extremas difficultates reuerti. Id ergo consilium postquam omnes ardentissimè approbarent, rediere cito agmine per diuersas errantes vias, tandemq; quum equina caninaq; ac fœlina carne se constantissimè diu sustinuissent, in Quitonicum agrum peruenerunt. Vrbani ciues seu Hispani seu Barbarici nominis, quia id multo antè Consaluus nuncijs præmissis iusserat, cum larga ciborum ac reliqui commea-

Aurellani interitus.

tus copia sese comiter venientibus obuiam effudere, licuitq; tum cuiq; non cognitos ante vultus intueri, quales antea viderat, sed syluestres propè feras ac monstra: hirsuta ora, hirti crines erant, viri seminudi, aut ferinis pellibus induti, caligæ laceræ, capita vilissimis carioforum linorum scrutis tecta, gladij rubiginosi sine vaginis, crura brachiaque dumetorum ac spinetorum, quæ transierant, vulneribus saucia. Vbi oblato cibo milites lacerantibus stomachis satisfeciissent, Consaluus pro se modò Principibusq; aliquot vestes allatas conspicatus, eas dem, ne cæteris dissimilis esset, induere noluit, pristinoque habitu cũ cæteris Quitonem lætissimè processit, & vrbem ingressus recta ad sacras ædes cõtendit, ibiq; omnes vnanimes Magno Deo egêre gratias, quod ipsius maximè beneficio incolumẽ saluumq; propè in ipsa salutis desperatione reditum fuissent consequuti. Iam Ferdinandus in Hispaniam peruenerat, vt rerum gestarum cuentum aperiret, atque ibi, cum lite intentata ab Didaco Aluarado, qui & ipse eam ob caussam Didacianorũ nomine in Hispaniam properarat, grauissimè rerum perfidiosè

Mirabilis Hispanorũ redeuntiũ forma & habitus.

diosè gestarũ argueretur, quod minimè expectarat ad caussam dicendam, in custodias redactus est, missusq́, vt de omnibus rebus exactißimè cognosceret, Vacianus Caster, homo non fide ac rara industria modo spectatus, sed summa iuris ciuilis intelligentia imbutus, & Licentiati ordinis gradu proiectus. Hæc res celeri nuncio famaq́, apud Didacianos vulgata vt fuit, omnis eorum modica quiete soporata, sed repentino nouæ spei calefacta æstu crudelitas maiore animorum motu conceptuq́, rebullijt. Agebat Regij Almagri filius ex Barbara muliere susceptus, parentis nomen Didaci gerens, omni disciplina ac literatura iuuenis egregiè ad summam spem informatus, quem Ferdinãdus, patrem cùm interficeret, cum Ioanne Errada, cuius antè mẽtionem fecimus, Regium ablegarat. Is Errada diu in custodia habitus cũ tandem ab Francisco Pizarro libertatem impetrasset, arma ac munitiones intra priuatarũ ædium parietes clam ac sensim parans, atroci facinore ad Didaci vindicandam necem, ipsius Francisci Pizarri trucidãdi consilium cœpit, incitatoq́, ad id Iuuene, & eidem spe paterni

Ferdinandus Pizarrus in custodias coniectus.

Didacus Almagrus senioris Almagri filius annos natus 20.

Ioannis Erradæ ad Pizarri necem cœptum.

paterni imperij adiecta, postquam de Aluaradi ac Ferdinandi lite, Vacianiq; in Prouinciam accessu perlatum fuit, veluti iã optimo iure ad inferendas homini reo, ac propè (vt sibi suisq; persuadebat) condemnato manus carnifices accerseretur, conceptum maturare constituit. Erant illi præstò vel ad longè immanissimũ scelus promptissimè, quicunque Didaciani nominis erãt, ex quorum memoria licet & ipse Franciscus Pizarrus omni lenitatis ac beneuolẽtiæ studio infixam illatæ cõtumeliæ iram sensim carpere, & obliuione conterere, quãtum posset, eniteretur, tamen vsque alta vindicandi rabies spumeis insanabili furore animis insidebat, vt iã non leuibus signis præferrent, minimè se prius conquieturos, quàm simili ipsius capitis talione cædi Didaci parent assent. Idcirco frequentia inter se conciliabula conciliaq; ferebant, ac turba in dies augescente, quum varijs ex partibus literis exciti clam in vrbem aduenirent, Pizarrusq; vel de his non semel admonitus nullum timoris indicium præferre vellet, eorumq; conatus, vti imbellium & profugorum, despiceret, eò fiducia licentiaque succre-

Almagrianorum in Pizarrum cõspiratio.

Pizarri in Almagrianos contemptus.

succreuit, vt propè aperta interficiendi Pizarri consilia sererent, & illum etiam conuitijs propalam, aut alicuius irreuerentiæ, ac falsæ illusionis contumelia appetere non timerent. Erant inter hos quidam non infimæ sortis, nec prauæ existimationis viri, qui pro sua in Almagrum charitate ac fide licet parum quietos ac benignos animos in Pizarrum concepissent, omnem tamẽ odij impetum moderata habendæ quæstionis expectatione temperarant, ac ob id postea, Almagri caussa damnata, ab hoc impiorum numero defecerunt. Quapropter vbi iam certius cognitum esset, Vacianũ Castrum, ab Cæsare missum in Prouinciã, appulsum esse, ad illũ excipiendũ (quod ad captãdã in ipso aduẽtus limite gratiã, aures q; querelis præoccupãdas plurimum pertinebat) misẽre Alphõsum Montemaiorẽ, qui grauitate ciuili, & prudẽtiæ opinione reliquos antecellebat. Verùm Almagrus iuuenis, & huius cõcitator Errada, abeũte Montemaiore, minimè tantisper æstuantis furoris stimulos reprimere potuerunt, dum iudicio res componeretur, sed sanguinem atq; vnum ipsius Pizarri caput spirantes, tũ quidem

Vacianus Castler in Prouincia ab Cæsare missus.

dem scelerati conceptus exitum festinare stæ tuerũt. Verũ huius rei quum manifestior in dies fama per vrbẽ increbresceret, multiq; viri graues & boni Pizarro suaderẽt, vt matura cautione sibi prospiceret, firmũq; militũ satellitiũ assumeret, tamen ille, iã fato turpissimæ cædi destinatus, id se facturum pernegaret, ipse Errada, vt perfidiæ gemmaret scelus, ad Pizarrum accessit, vulgataque in se de suspicione plurimùm & grauiter se expurgat, maximeque molestum affirmat, quòd arma parans, & magnum hastarum numerũ emens (concepta in se innoxium & ipsi syncerè peramicum suspicione) aduersus proditorias insidias sese instruere ac munire videretur. Tum verò Pizarrus, qui dubium metum ei hominis excusationi facile remittebat, testatus hastas non eum in vsum aut cogitationem à se coëmptas, humanissimè complexus est deprecantem, donatisque aliquot malis arantijs, quæ (quòd tum recenter primum in Prouinciam fuissent aductæ) in magno precio erant, manum ipsius perfidiosissimè exosculantem peramicè dimisit. Tum Errada, qualem optarat, in Pizarro negli-

Ioannis Erradæ duplex perfidia.

negligentiam conspicatus domum apud suos recessit, cædique dies est isthic inter coniuratos destinatus dominicus proximus, qui erat Iunij mensis vicesimus septimus anni quadragesimi primi ab millesimo quingentesimo. Id pridiè inter confessionem summi templi parocho detectum fuit, qui idipsum Antonio Picado secretorum magistro aperuit, ac deinde, cœnatum ad Pizarri ædes ductus, ipsi Francisco indicauit: ad quæ verba eius paululum expallescens vultus mutari visus est, sed resumpto animo fabulam esse Picado dicebat, quòd recenter adhuc Errada peramicè & humanissimè se adijsset. Verũ, quum præter id alia atq; alia nouis semper nuncijs ab viris probatæ fidei adijcerentur, tanta formidine pauescere cœpit, vt noctu cum paucis Ioannis Velasci Regini Prætoris domũ adiret, in eius q; sinum animi trepidantis ægritudinem, his, quæ audierat, eidem narratis, effunderet, & domũ reuersus postridiè, qui dies erat ipsius cædi destinatus, publico sacro non interesset, sed domi priuatum audiret, eoq; absoluto ad visendum Solandumq; illum cum pluribus accessêre Ioannes Velascus, & Fran-

Dies Pizarri cædi destinatus.

Tempus.

Pizarri metus.

Franciſcus Chaueſius. In meridie, cum ſatellites pranſum dimiſſi, aliíq; præter hos duos domum abiiſſent, & ipſa vrbs, dilapſis in ædes quibuſq;, ſilentio meridionali conticeſceret, ecce Errada aliíq; duodecim numero ex ædibus diſtrictos manibus gladios vibrantes proſultant, clamoremq; tollentes, vt nunc pro ſe quiſq; ad mactandum tyrannum adiungeret ſocium, qui regium Prætorem mori iuſſiſſet, per forum rectà ad Pizarri domum vadunt, areaq; portam celeriter occupant, &, illam vnũ relinquunt, qui, occiſo agno ad ſanguinolentum ferrum oſtentans, cæſum Tyrannum clamitaret, vt ſi qui ex ciuibus auxilio properare contenderent, cruentũ conſpicati enſem actum de Pizarro exſtimarẽt, eaque deſperatione domum reuerterentur. Iã, percepto tumultu, Pizarrus properè Chaueſium proceſtrij atq; atrij ianuas obſerare iubet, dum ſe armet: ſed ille, metu ac trepidatione vix ſui compos, vſque adeo pauitabat, vt nullum oſtium clauderet, ſed rectà ad podij gradus decurreret, ibi rogantem, Ecquid iſthic tumultus eſſet, Errada & coniurati reliqui celeri curſu ad proceſtrium euecti mu-

Coniuratorum audacia.

Coniurati in Pizarri ædes irrũpunt.

cti mucrone vulnerant, reſtare deinde ſtricto enſe parantem inuadẽtes Parricidæ trucidarunt. Ita, occupato atrio, ad Pizarri cubiculum properant: profugiunt vndiq; ſatellites Hiſpani: ipſe Velaſcus ſe è feneſtra præcipitat: Ergo, imminentibus tantopere hoſtibus, Pizarrus cum fratre Franciſco Martino, nobilibusq; duobus Ioanne Varga Gometij Tordoi filio, & Aſcandonio, ac totidem ſeruis vix bene armatus ſcuto gladioq; ad oſtium aduolat. Ibi hercule ardetior quàm pro hominum numero aliquamdiu pugna fuit, egregiè profecto locum defendente Pizarro, & lingua etiam exhortante vociferanteq;, vt aduerſus perfidos, aduerſus latrones proditoresq; nulla niſi in dextris ſpe depugnarent. Multum diuque cùm certatum eſſet, demum Franciſcus Martinus laſſitudine & vulneribus obruitur, in eiusq; cadentis locum inſiliente ſeruorum altero cùm non minus cieretur certamen, metusq; circumſtaret parricidas, ne ſubſidium alicunde veniret, Errada ſociiq; pugna defungi feſtinant, vnumq; optimis protectũ armis vi in oſtium incidere iubent, ita, dum irruentem illũ propellere

Pugna in ædibus Pizarri.

pellere annituntur Pizarrini, valido impetu irrumpentes Parricidæ ostium occupant: & tum scelere antè concepto, tum pugnæ sustentatæ contumacia accensi tanto ardore vndique sunt adorti, vt Pizarrus, viribus exhaustus & spiritu anhelus, vix gladium palpitante præ fatigatione dextra regere amplius posset: ita humi ruentem, & miserabili voce frustra supremæ exomologeseos copiam inclamantem, iugulo perfosso, obruerunt, plæraq; etiam vulnera feritate & sæuitia trunco iam corpori adiecerunt. Tũ verò, trepidam interfecti Prætoris rumore vrbem peruadente, ducenti amplius repente emicuêre, qui ad facinoris euentum conspicien dum ad id tempus quieuerant: tum deserti hominum fuga vici, destricta aduersus dubitantes tela, ipsi parricidæ sanguineis per cõpita ferris discurrebant, & ante alios in equum proiectus Didacus Almagri filius, vrbemq; perequitans, magnoque passim suorum clamore exceptus, omnium in se oculos conuerterat. Quocunque enim iret, iusserat proclamari Errada, eum esse genuinum Prouinciæ Prætorẽ, cuius rei consensum ab Patribus

Pizarrini seraciis cædes.

Regij tumultus & coniuratorum vis.

Almagrus iuuior Prouinciæ Prætura occupat.

tribus Collegis postea etiã expressit, paternæ successionis iure adducto. Pizarri cadauer in templum serui aliquot, vti cruentum erat, extulêre, vixque vni Ioanni Barbarano ad exhibendum veteri hero sepulturæ honorem spacium fuit, quum Didaciani ad præcidendum caput, paloque ignominiosissimè imponendum, aduolarent, id haud dubiè perfuturi, ni raptim humo iniecto condidisset Barbaranus, postea exequiarum & funeralium cærimoniarum suo impendio apparatum curans. Hunc vitæ exitũ habuit Franciscus Pizarrus, magnũ hercule funesto exemplo documentum præbens, quid sibi vel in summo arridentis fortunæ fastigio, firmissimoque opum ac stemmatum præsidio stulti et ad omnia temporũ momenta mutabiles mortales spondere debeant, quum ille, tanti modo nominis Dux, in eo luculentissimi imperij fulgore ac luce breuissimi temporis spacio ab omni satellitum militumque, qui tanto numero familiam modò onerabant, tutela atq; ope desertus, intra ipsa priuatarum ædium munimenta, quod vix vlli tyrannorum accidit, à paucis latronibus incredibili & stupendo im-

Miserandũ fortunæ ludibrium.

do imprimis ausu sit immanissimè trucidatus, tãtæque miseriæ finem acceperit, vt, qui non inexhaustis modò gazarũ thesauris abundabat, sed suo propè auro Cæsarem pascebat, nunc vix adornandis exequijs, liberisque prouehendis vel tenue opũ subsidium relinquendi facultatem haberet. Nec illud fortè minorem æstimantibus admirationem adferet, quod inter duos hos summæ potentiæ, virtutis, atque audaciæ Principes, Almagrum atque Pizarrum, familiaritas, ab arctissima coniunctione & opum societate inchoata, in tantam mutuæ æmulationis ac repentini odij flammam præter omnium opinionem exardesceret, vt vterque sibi inuicẽ funestissimi excidij caussa fieret, quemadmodum in C. Cæsare atque Pompeio accidisse constat. Fuêre profectò naturæ dotibus, quæ in ipsis insigni ornamẽto eluxerũt, laborum tolerantia, liberalitate, & suorum amore plurimum sibi persimiles, quemadmodum etiam ætate fermè æquales erãt: vterq; iam senex Peruuinam explorationẽ aggressus est, ad imperiũque prouectus, pristinæ fortunæ habitũ egregia memoria seruabat, &, quod

Pizarri & Almagri senioris cõparatio.

quod maximè mirandum fuit, in tanta literarum & ipsius scribendi artis ignorantia tantarum rerum administrationibus par & expeditus: digni ambo certè vel summorum Ducum laudibus, diuturnioreq; occupati imperij fructu, nisi illud Almagrus, quod tempore ac spacio parandum erat, intempestiua præferendæ cupiditatis præuaricatione affectasset, & Pizarrus sibi paris impatiens inconsultius ad vindicādum, veteris amicitiæ parum memor, se demisisset. Vtrunque intestata & pudendæ egestatis plena mors sustulit, sed par certè successionis casus vtriusque posteritati ab inopinato accidit, quum Almagri filius, trucidato Pizarro & Regio occupato, Prouinciæ Præturam inuadere atque vsurpare non dubitarit, sed infaustum inconsulti imperij casus finem sit nactus: posteà verò Cōsaluus Pizarri frater, pulso Vela Prorege, sicuti dicetur, imperium occupare nouumque dominatum protendere confiderit, atque ipse etiam tandem debitas præcipitis confidentiæ Tyrannidisq; pœnas turpi supplicio affectus inuenerit. Ergo hūc in modum Pizarro sublato, cùm Didacus Almagri fi-

Pizarrus & Almagrus non omnis modò scientiæ, sed scribendi ignari.

Almagri iunioris crudelitas.

gri filius per vim Regium occupasset, versa est iracundia in eos, quorum fidei suspicionem mouebat aut intercedens cum Pizarro familiaritas, aut vitæ consuetudo: quibus eiectis, cum libera extincto metu vrbs pateret, multa fuere perfugia exulum & proscriptorum, raptoq; viuere assuetorum, nec vlli parentium imperio, nisi vbi pessundato iure vis præceps libertatem agendi perdundique omnia, pro effræni latrocinantium ingeniorum arbitrio, communi permissione atq; vsurpatione concederet. Idcirco affluente passim turba, vbi spoliatis Pizarrinorum ædibus Didacus tumida & fatali iudicij præoccupatione se Prouinciæ Prætorem pronunciando, ius vindicandi, & incertam quæstionem, quæ patri cum Pizarro intercesserat, in vim manifestam trahit, improuisæ belli tempestati spem fortunasq; iniecit, & earum fructus omnino peruertit. Nam cum Regij turbidis suorum vocibus Princeps acclamatus, literis ad diuersos præfectos missis abijs etiam haberi & accipi plena nominis vsurpatione & iuris potestate vellet, primum Alphonsus Aluaradus apud Cichapoiades in

veteri

veteri sede agens, & præsidio fortissimorum militum centum sat fretus, egregiè denegauit. Is enim vti egregia in Pizarrum fide fuerat, ita omne Almagrianum nomen summa capitalis odij acerbitate prosequebatur, & ad Cusconem in prælio, vti diximus, ante alios maximè cum suis sæuus atque immitis fuerat: idcirco varijs minarum promissorũq; illecebris sollicitanti Didaco vnum id responsum dabat, nunquam se prius ad illum accipiendum agnoscendumq; Prætorem adductum iri, quam manifestum Cæsarei consensus diploma vidisset, sperareq; se Magni Dei beneficio, & singulari fidelium bonorumque hominum adiumento, quæ vel pater vel ipse in Maiestatem atq; Pizarrum perfidiosè atq; immaniter perpetrasset, ipsius latronumq; eius sanguine propediẽ vindicaturum. Quapropter cum mediocri equitũ peditumque manu in Alphonsum ab Didaco missus est Garzias Aluaradus, eodemq; itinere Michaëliam occupare, armaq; & equos inde abducere iubetur. Is profectus vbi Santã, quindecim millibus passuum Trugillo distãtem, peruenit, in Alphonsum Cabrerium incidit,

Alphonsi Aluaradi in Almagrum constantia.

qui Vanucone profugus Trugillū cum pau-
cis accelerabat, vt eam vrbem aduersus Di-
dacianos tueretur, quem ob id captum, vbi
Michaëliam processit, vna cum Voo Media-
lanio capite plexit. Eodem tempore, cum Cu
sconē postulata Didaci perlata essent, Prin-
cipes Patresq; Collegæ, Francisco Caruaiale,
qui plurimum adhuc sequentibus bellis inno-
tescet, ad id maximè annitente, constanter
se opposuerunt, quanquam, vt inani eiusmo-
di spei lactatione retardato Didaco aliquod
parandi milites spacium haberent, tum se il-
lum Prætorem accepturum per literas pol-
licerentur, quum luculentiore legatione vo-
luntatis suæ sensus clarius apertiusq; explicuisset. Fortè tum animi causſa abierant in
venationem Gometius Tordous Senatorum
princeps, cuius filium cum Pizarro ad ostium
aduersus Pizarricidas pugnasse memini-
mus. Is reuertens, cum ex nuncijs obuijs re-
rum gestarum atque Didaci postulatorū cer
tior factus fuisset, falconi, quem manu gesta-
bat aucupum more, iugulum diuellens, Pu-
gnandi, inquit, hoc tempus est, non aucupan-
di. Nec mora, in vrbem vt venit, belli consti
lia

Cusconica ciuitas authore Francisco Caruaiale Almagro se opponit.

Egregium Gometij Tordoi factum.

lia cum Principibus clam inire cœpit, Petrum Anſurem è charcantibus ad vrbẽ aduocat, ipſe ad Petrum Holuinum profectus eſt, qui tum aduerſus Barbaros diuerſo in loco res gerebat. Hunc grauibus incitamentis vrget, vt ſummam imperi ſe conſeſſore acciperet, bellumq; Maieſtatis nomine aduerſus Didacum adminiſtraret. Holuinus, quanquam multum diuque recuſans tanto oneri ſe parem agnoſcere nollet, tandem Tordoi precibus accedit, vocatisq; Arecupia militibus vnà Cuſconem profecti ſunt, & fugere inde Didacianos compulêre, qui iam nõ exiguo numero ſeſe inſinuarãt. Ibi, approbato Gometij conſilio, Principes Holuino dato acceptoq; ſacramento tantiſper imperij ac iuriſdictionis ſummam detulêre, dum ab Cæſare alter daretur, ſtatimq; non ciues modo, dedicatis in belli vſum omnium ſuarum fortunarum viribus, ſe ad Holuini imperium duxerunt, applicarunt, ſed breui è vicinis agris & Charcantibus, Petro Anſure ductore, plurimi ad ſigna eius confluxere, ita vt armatorũ numerus intra paucos dies ad trecẽtos ſuccreſceret. Holuinus, habito cum ſuis conſi-

Petrus Holuinus bellum in Almagrum parat.

lio, vbi Didacum amplius octingẽtos sub signis habere cognouit, deserta Cuscone, prius quam ab hoste omnibus rebus longè superiore circumueniretur, ad Alphonsum Aluaradum montana via proficisci constituit, quem iam fama nunciante perceperat egregriè postulatis hostilibus refragatũ intrepide in Didacum bellum apparare. Quapropter Garcilasco Vega, Petroq; Ansure equitibus, Castro ac Martino Roblesio peditibus præfectis vrbe exesßit, & agmine semper parato instructoque, ne alibi inopinatò impeteretur, magna celeritate ad Alphonsum contendit.

Holuinus ad Aluaradum tendit.

His rebus perceptis Didacus facile de Holuini consilio suspicatus, adoriri properantem viamque intercludere statuit, tamen voluntate sua tardius proficisci potuit, quod Garziam Aluaradũ expectare cogeretur, quem ab illo ad Michaëliam occupandam missum fuisse ostendimus: vbi verò is reuersus est, iugulato Antonio Picado & liberis Pizarri eiectis, in viam se dedit, vixque cũ vnius diei itinere abscesßisset, perlatæ Regium sunt

Vaciani ad Reginos literæ.

literæ Vaciani Castri Quitone datæ ad Frãciscum Barrionouium Thomamque Martinianum

tinianum Prædicatorum Pontificem, quibus monebat hos Vacianus, vt tantisper rebus præessent, dum ipse adueniret, quibus illi literis impulsi, & cum his Senatores, diuersaque aliquot sortis Principes clam Vacianum Diæceten & ipsius Vicarium Hieronymum Aliagum delegerunt: qua re confecta, magna eorum pars, ad Didaci crudelitatem matura fuga euitandam, Regio Trugillum profugit, nec tam id fieri clam potuit, quin subodoraretur Didacus, qui de retrahendis profugis aliquandiu cogitauit, sed veritus, ne id & Holuinum sibi eriperet, & vulgata de nouo Præfecto res suis tumultum inferret, eam cogitationem omisit. Ita quanquam periculosus Ioannis Erradæ morbus nonnihil moraretur, cuius omnibus consilijs innitebatur, tamen, vt Holuinum Sausanos iam excessisse audiuit, maxima celeritate ad eum insequendum contendit. At Holuinus, vbi ea propinquitate imminentem sibi Didacum vidit, vt nulla ratione euadere posset, stratagemate tali hostem elusit. Viginti equites nocte quadam in stationes hostium incurrere, & quot possent, captiuos adducere iubet,

Almagrus Holuinum insequitur.

Holuinus stratagemate Almagrum eluit.

atque illi postquam, imperatis nauiter factis, tres adduxêre, duos necat, tertio vitam indulgens aliorum etiam præmiorum pollicitatione impulsum sacramento astringit, vt ad Didacum eat, renuntietque castra eius proxima nocte se aggressurum: atque is vt eam rem Didaco persuasit, totam ille noctem in acie suos continuit, qua hostium mora & expectatione Holuinus tuto elapsus procul anteceßit, nihilo tamen secius cognita fraude insequi Didacus haud destitit, forte consequuturus etiam, ni celerem nuncium cum literis, quæ accelerare iuberẽt, ad Aluaradum misisset, cuius rei moram quanta posset diligentia diuturniorem Alphonsus non fecit, breuiq; copijs coniunctis Didacum insequendo abstinere compulerunt: nam hunc sponte etiam mortuus apud Sausanos Errada nõ nihil impediebat, & noua spes ad Cusconis intercipiendæ conatum verterat. Dum hæc geruntur, interea Vacianus Caster Panamaidem Bonauenturanum in portum appulsus, atq; inde difficili itinere in Quitonicum agrum progressus, vbi de Pizarri cæde cognouit, sibi Prouinciæ Præturam assumit, & di-

Holuini et Aluaradi coniunctio. Ioannis Erradæ mors.

Vacianus Prouinciæ Præturam assumit.

& diuersos Duces ad vrbes Principesq; varias in partes mittit, qui se accipere agnoscereq; iuberent. Is enim, quanquã ad habendam tantùm de Almagri cæde quæstionẽ in Prouinciã missus esset, secretò tamẽ donato ad id Cæsaris diplomate in mandatis hæbebat, vt si eo tempore, quo ipse in Prouincia versaretur, è viuis Pizarrus excederet, tũ ipse tantisper Prætoriam administrationem obiret, dum alter ab Cæsare summitteretur. Idcircò ad præparanda arma militesq; conscribẽdos Petro Pulletio præmisso, quum è Quitonico maritimam in regionem descendens in Bracamoros peruenisset, accessit illi eius loci Præfectus Vergara, quem Cusconico in prælio Sclopettarijs præfuisse meminimus, pari fœlicitate cum illo Trugilli Gometius Tordous, qui iurgij caussa cum Garcilasco Vega plurimisq; alijs ab Holuino discesserat, se coniunxit. Hac omnium in se inclinatione vehementer gaudens Vacianus Trugillo ad Holuinum atque Aluaradum profectus est, statimq; omnium assensu prõptissimè & magna lætitia ab Ducibus receptus est, iussoque Holuino cũ omni agmine proficisci, in Sau-

Vacianus Regium tendit & accuratam bello apparando diligentiam isthic adijcit.

sanos, atque ibi se expectare, cum paucis Regium iter deflexit, vt isthic armorũ tormentorumq; imprimis accuratiorem curam ageret: Trugillum verò ad præfecturam Didacum Moram, virũ genere factisq; illustrem, misit, in cæterisq; porro tanto diligentissimæ constitutionis prospectu instantibus belli curis occurrebat, vt plærique tantæ cautionis diligentiam in viro togato, qui vix vnquam bellicis rebus interfuisset, bono omine mirarentur. Didacus interim Almagrus Cusconem præsidio nudam per Christophorum Sotellium, quem præmiserat, in potestatem accipiens, ijs magistratu deiectis, qui Vaciani nomini addicti erant, maximum belli apparatum instituere cœpit, &, quod regio metalli ac nitri permultũ est ferax, magnæ tormentorum, ac pulueris tormentarij copiæ parandæ summam diligentiam adhibuit, ingentem etiam armorum multitudinem comparauit, ea passim per officinas cudi curando, ita vt quisq; miles lorica & armis indutus cerneretur, et plærique galearum coni auro vel argẽto immisto interniterẽt. Sed Didacum, his rebus diligentissimè intentum, malum

lum inteſtinum propè oppreßit: Orto diſſidio ſimultas Præfectos inceſſerat, Sotellium & Garziam Aluaradum, interfectoq; incru
deſcente iurgio per iram Sotellio hoc tumultu excreuit contentio, vt propè militum acies inter ſe infeſtis ſignis concurrerent, ni in medium ſe ingerens Didacus ferociam inſurgentium mitigaſſet, vnde Garzias ſentiens Sotellij necem, quòd percharum haberet, eſſe Didaco permoleſtam, veritusq; ob id ne increſcente odio in vitæ diſcrimen aliquando veniret, interficiendi eius cogitationes agitare cœpit, & conceptum ſcelus demum in cœna perpetrare putabat. Inuitatus Didacus, quòd conſilium & inſidias expiſcatus fuiſſet, ægrum ſe ſimulat, armisq; ſub veſtibus indutus infirmum, vt videbatur, corpus lecto componit, cum antè armatos aliquot ad cubiculi latus abdidiſſet. Garzias interim, qui ad cædem omnia domi diligenter inſtruxerat, cùm ad ædes Didaci velut morantem acciturus accederet, occurrens Martinus Carillus, ne ingrederetur, monebat, adiungens de ipſo trucidando cogitari, verùm quum id pro ſomnio habens introire non dubitaret,

Garzias Aluaradus Almagrũ tollere intendit.

Almagrì aſtuta ſimulatio.

Dida-

Didacumq; Dominum Hispanico more compellando decumbentem læto ore rogaret, vt familiari colloquio valetudinem refecturus ad cœnam veniret, contraq; Didacus chlamydem poscendo, & se gladio succingẽdo exeuntibus reliquis velut ipse etiam egressum moliretur, subito Ioannes Errada defuncti Erradæ filius ostium clausit, Garziamq; apprehendens, Te, inquit, captiuum siste, stupenteq; illo, & propè fraudem suam detectã iam

ἀίχεων ἀίχεται. Garziæ cædes.

suspicante, Didacus stricto ferro pauentem feriens, Non captiuus, inquit, sed mortuus esto, simulq; cum dicto irrumpentes armati Garziam innumeris vulneribus lacerarunt. Ea cædes vulgata ingẽtem hercule turbam, Garzianis tumultuantibus, vrbi intulisset, ni Didacus properè tectis in forum euolans, fugientibus Garziæ familiaribus, principia maturo occursu sedasset. Hac re perpetrata, quod iam antè cognouisset Vacianum se cum Holuino coniunxisse, in Sausanos iter intendit, singulari toto hoc bello Pauli Ingæ fide atque auxilio adiutus, qui cum Barbarorum manu agmen semper præcedens itinera explorabat, &, vt commeatus vndequaque

asser-

afferrentur, egregiè, quod notitia atque authoritate apud incolas maximè valeret, prouidebat. At Vacianus, vbi interea Regium peruenisset, sumptis mutuo septuaginta aureorum millibus, quod Didacus publicas fortunas, ærarijq; incredibiles thesauros spoliasset, haud dispari cura bellum interea instruebat, paratoque mediocri tormẽtorum & virorum numero, vrbi Franciscum Barrionouium præfecit, eiq; præcipiens, vt si Didacus, postquam ipse abijsset, Regium, sicuti fama tenebat, veniret, ciues maturo perfugio in naues se reciperent tantisper, dum ipse conuerso agmine Didacum persequeretur, in Sausanos ad Holuinum discessit, eoq; vt venit, quod magnus equitum peditumq; actor mentorũ numerus confluxisset, exercitum in Præfecturas dispertiẽs Holuinũ, Ansurẽ, & Garcilascũ Vegã equitibus præfecit, pedites Petro Vergaræ & Nonnio Castro ducendos dedit, quibus veluti subsidiariam equitum peditumq; aciem duplici ordine, Gometio Aluarado duce, & Sclopettariorum turbã adiecit, cui Ioannes Vellæus præerat iuris laurea eruditionis caussa donatus, qui cum rei militaris

Ioannes Vellæus miles to-gatus.

militaris non vulgari peritia ſummam doctrinam coniunxerat, atque ante meridiem ius dicebat, interq; Senatores togato habitu incedens verſabatur, tempore autem pomeridiano chlamydatus caligisq; ſegmentatis militarem habitum præferebat. Suprema tamen ordinũ poteſtas, acierũq; cura Franciſco Caruaiali incumbebat, quẽ iampropè octogenarium ob id Vacianus ad hoc munus ſuſtulerat, quòd mirificam virtutem, animumq; nulla ingraueſcẽtis ætatis ſarcina eneruatũ, præferret, & quum in Italia quadraginta amplius annos ordines duxiſſet, longiſſimè cæteros omnes bellicæ ſcientiæ exiſtimatione ſuperaret. Eodem tempore ad Vacianũ Conſalui Pizarri, qui tum ab ea expeditione, de qua dictum eſt, Quitonem recẽter erat reuerſus, nuncij venere, per quos ille cum auxilio adfuturũ ſe breui ſpondebat, verùm, gratijs ei beneuolentiæ habitis, reſpondit Vacianus, vt quietũ ſua ſeſe in ſede Quitone contineret. Minimè enim ei bello Conſaluum intereſſe volebat, quòd vel timeret, ne is præſens omnes occaſiones ac ſpes cõponendæ per quietem rei cædis fraternæ vindicandæ ſtudio peruer-

Franciſcus Caruaial in exercitu generalis.

peruerteret, vel quòd vereretur, ne, postquã in castra venisset, amore ac memoria Pizarri fratris abrogatum sibi imperium ad illum deferretur. Ita remissis nuncijs, audiens Cuscone Didacũ mouisse, & ad Vamantiacum præoccupandum, aut certe ingentis amnis transitum intercipiendum contendere, eò etiam è Sausanis properauit, præmisitque ad loca exploranda Didacũ Roam, qui proximè Vamantiacum progressus, vt Didacum haud procul abesse didicit, perpulit Vacianum sequentem, vt ad hostem anteuertendum festinius adueniret. Idcircò summa celeritate properans, quũ duobus ab vrbe passuum millibus sub vesperam consedisset, fama allata Didacum proxima nocte in vrbem venturum, nonnihil sibi incanduit, quod suorum, qui tardius sequebantur, pigritiæ adhibitæ celeritatis suæ industriam retardaretur, quoad remissus Alphonsus Aluaradus eos omnes grauiter increpitos & festinare iussos adduxit. Tum verò nulla militibus data quiete Vacianus iter continuans, quod obuiorũ passim montiũ asperitatibus perdifficile occurrebat, præterita vrbe vlte-

Vacianus in Almagium Vamantiacũ tendit.

vlteriore parte per totam noctem in armis constitit, sed vbi altero nuncio postridiè Didacum amplius adhuc nouem passuum millia abesse cognouit, ad eum Franciscum Diaquesium cum his mandatis misit, vt fidei ac potestati Cæsaris, quam impiè in omne nefas præceps excussisset, iusta pœnitudine sese redderet, copiasq; dimitteret, quod si facere non grauaretur, rerum omnium iniquè, et ad crudelitatem proximè gestarum veniam habiturum, sin minus, cum eo se iure acturum eo, quod ad impios rebelles q; puniendos naturale iudicium leges q; præscripserint. Diaquesium cùm mitteret, simul militē alterum locorum apprimè gnarū Barbarico habitu indutum cum literis clam ad pertentandos Didaci Duces misit, sed, illo capto & suspenso, Didacus grauiter Vacianum redarguit, quod, cùm pacis ineundæ remedia quærere videretur, indignæ proditioni suorum aut certè turbis atq; dissidijs Duces suos per secreta literarum molimina concitare conando sese inuoluere atq; implicare contenderet. Sciret itaque, dum ipsi cum Holuino atque Aluarado suis odij interneciui hostibus res esset, non sui esse animi ipsius

Vaciani ad Almagrū mandata.

Almagri ad Vaciani mandata responsum.

ipsius mandatis parere, nec exercitum prius dimittere, quam Cæsareo sigillo obsignatum veniæ donatæ diploma in manu haberet. Porro, quod istiusmodi secretis literarum machinis impugnare se contenderet, eam sperare militum suorum esse fidem, vt non modò dati sacramenti ius constanti fiducia conseruare possint, sed ipsi propediem virilem pro sua salute, dignitate, atque in Prouinciam iure defendēdo pugnā fidelibus dextris animisq; sint præstituri. Audito Didaci responso Vacianus rem prælio committere statuit, motisq; inde castris in æquiore planicie, quam Chupam indigenæ vocabant, consedit, intelligensq; dubitationis nonnihil multis iniectum, an Didaci ab Cæsare damnata caussa esset, quod ab Cusconico prælio Ferdinandus Pizarrus in Hispaniam profectus in custodia habitus, ad iudiciumq; reiectus fuisset, Cæsaris nomine sententiā in Didacū pronunciauit, eundē, bonis fisco adiudicatis, appendicesq; eius proscriptionis & necis denique damnans. Postridiè, cum propè hostes aduenissent, propiusq; sensim secundū æquiores quosdam montes ab latere sinistro, mili-

Vaciani in Almagrū sententia.

tari via deserta ad vitandas paludes, subirent, Vacianus Nonnium Castrum cũ quinquaginta Sclopettarijs ad lacessendum prælium emisit, hostesq; distinendos, dum sui, qui transeundi montes erant, transcenderent, nec ascendendo occupatis Didaciani transuersis tormentoriarum pylarum ictibus vehementissimè nocerent. Ita, cùm iam suos summa occupasse nauiter vidit, Vacianus Caruaialẽ acies instruere iussit, ipse, in quãcunque partem venerat, seduli & Ducis & hortatoris munere fungebatur, tantumq; iubebat animis cogitare, ipsi qui essent, vnde orti, ac nati, pro quo, & aduersus quos pugnaturi essent, Cæsareum decus ab ipsorum virtute pendere, victis fugæ receptuq; locum superesse nullum, vincentibus diuitias perpetuas opimasq; exuuias, & certè præclaram defensatæ suis dextris Cæsareæ dignitatis famam gloriamq; non inani præmio fore. Ad quæ cum vno ore omnes fortem fidelemque virtutem summa constantia se præstituros sponderent, omnibusq; in rem bene compositis haud ita multum diei superesset, perlibenter Vacianus in sequẽtem diem prælium distu-

Vaciani ad milites exhortatio.

distulisset, verùm, dehortante Alphonso Aluarado, qui militum ardorẽ nulla mora refrigerandum dicebat, optasse tum sibi dicitur Vacianus Iosue potestatem, vt, sicuti illum feciſſe ſacræ literæ prodiderunt, ad diem lucemq́; prolongandam Soli in occasum vergenti quietem imponeret. Plurimus etiam non ipsum modo, sed cæteros quoque Duces, metus tenebat, ne descendẽs gradatim agmen ab aduersis hostium tormẽtis laceraretur, sed commodùm altera via auersior siniſtrorsum ab Aluarado demonſtrata est, quæ in vallem ducebat, secundum quam minore periculo ad hostes perueniri poterat. Iam pariter suos instrũxerat Didacus: equitatus duas in partes diuisus, in suas veluti alas peditatum receptum habebat, Ioanne Balsa, Tello, ac Didaco Mendesio, qui Rodorici Orgonij frater erat, Præfectis, tormenta valli instarita frontem protegebant, vt, simulac in conspectum hostes veniſſent, magno pylarum imbre prodeuntes ad summam perniciem stragemq́; exceptura viderentur. Igitur, quum hostiles iam bombi personarent, via cõmonstrata Vacianiani descendere, sicuti instructi

Vacianus Iosue potestatem sibi precatur.

erant, cæperunt. In dextro cornu Aluaradus ibat, vbi regium signum ab Christophoro Barrientio gestabatur, sinistrum Holuinus, Gometius Aluaradus, Garcilascus Vega, & Petrus Ansur tuebantur, inter primos ipsi versantes. Inter hæc equitum cornua peditum agmen ducebant Petrus Vergara, Ioannes Vellæus, & Nonnius Caster, & supra hos ipse aderat Caruaial, in cuius audacia virtuteq; omnem plærique spē reposuerant. Hinc veluti quartam aciem obtinebat Vacianus à cæteris paulisper separatus (triginta equites erant) vt quòres aduocaret, opem ferret, spectatorq; fieret ignominiæ cuiusq; fortitudinisq;, magnum animorum incitamentum. Dum hoc ordine militari processu descenderent Vacianiani, hostes nunquam iaculando cessabāt, exiguo tamen descendentium damno, quum glandes altius elibratæ militū capita præteruolarent, quod conspicatus Didacus, ratusq; corruptum ab hoste tormentorum Magistrum Candiam, velut ex composito sublimius iaculari, properè destricto gladio aduolat, è vestigioque Candiam obtruncat, & tormenta acrius di-

splodi

splodi iubet, quæ ad imperata quum acerrimè vehementissimeq́, glandes contorquerentur, nonnulliq́, iam caderent ex Vacinianis, & reliqui vix depressioris loci beneficio pylas euitarent, agmen Caruaial resistere iussit, ne magis propinquando summæ stragis discrimen milites subirent. Tum verò Didacus his veluti non dubiæ victoriæ initijs, & suopte etiam ingenio concitatus, ratusq́, viris fortibus indignum, si tanta quiete se loco tenerent, & expectabūdis similes ipsi quoque certamen non lacesserēt, prouectus aciem cum tormentis applicare cœpit. Id sicuti primum multa alacritate accidit, ita postremo haud dubiam victoriam Didaci manibus eripuit, primumq́, ante omnes Petrus Suuaretius excubiarum Præfectus obstitit, clamitans exercitum vnico nudari munimento, quum tormentis propinquantium hostium ordines vel ante pugnam & acies applicatas diffringi possent, nunc verò ea occasio corrumperetur, postquam ipsi prius appropinquantes id spacium interciperēt, in quod consistendi mora intra patentiores tormentorū ictus hostes proliciendi essent. Sed vbi fru-

Caussa ereptæ Almagro victoriæ.

ſtra clamantẽ ſe vidit, deteriore ſemper vincente ſententia, equo concitato indignabundus ad Vacianum tranſiuit: tum ad tympani pulſum ſuo incedentes paſſu in mutuum quoque conſpectum acies venerunt, ac Vacianiani, vbi ex deiectiore loco infra attollentis ſe planiciei ſupercilium peruenirent, ne glandibus in ipſo acceſſu obruerentur, dum tormenta hoſtium diſploſa eſſent, ſubſtitêre. At Didacus, ſi forte primos lacerare ordines poſſet, nullam tormentorum procellam intermitti iubebat, & quanquam ex innumeris glandibus plæræque ferè inanes, Vacianianos planiciei inſurgentis ſupercilio adhuc protegente, emitterentur, ingens tamen peditibus, qui erectiores ad ſummitatem ſtabant, non ſine terribili ſtratorum hominum aſpectu damnum incidebat, ita vt tetra cædes non dubiam turbationem, ac metum fluctuantibus ordinibus incuteret, & Ducibus deſtrictis gladijs in quaſcunque partes diſcurſando, & mortem comminando fugæ inhibendæ, & pauentes animando comprimendoque plurimum iſthic laboris eſſet. Equites etiam cum ſuperata accliuitate conſpicui fierent,

Vacianianorum cædes ac trepidatio.

rent, non minore propè strage excepti sunt, & ipsi etiam inter laceratorum turbam Petrus Holuinus ac Gometius Tordous ab intercurrentibus hostium Sclopettarijs singulis glandibus interfecti cecidere. *Holuinus ac Tordous interfecti.* In hac omnium consternatione Petrus Vergara & ipse ictus ad equites clamat, vt properè irrumperent, prius quam pedites, qui propè antetormentorum fauces stabant, obruerentur. *Pugna ad Vamantia cum.* Omnes igitur & aliena increpatione accẽsi, & se mutuo alius alium increpantes incitant equos, raptoq; agmine in hostes effusis habenis ruunt, simul pedites, canentibus vndique signis, eodem momento gradum inferre cœperunt. Neque verò Didaciani segnes erant, equitesq; non minus alacriter pugnam excepêre. Ibi tum, vt initium hastis interdirigendis factum fuit, vtrinq; impigrè ad gladios peruentum est, ac tum vir virum amplexus maiore animo & sanguine memorandũ quisque facinus patrare satagebat. Diuersa parte peditum sensim propinquabat certamen, quos omni adhortationis genere Caruaial tormenta contemnere iubebat, plurima, quàm vanus glandium sit impetus, viris fortibus

Stupenda Caruaialis audacia.

oſtendens, & ne ſe, quod firmo armorum munimento protectus eſſet, hæc dicere exiſtimarent, admirabile & ſtupendum facinus auſus ruptis vinculis arma ac loricam abijcit, atque vti tum nudus erat, & goſſypini thoracis fulgore conſpicuus ferrum modo manu tenens concitato curſu in tormenta procurrit: qua Ducis veſania pedites ferè obſtupefacti, tum ſuo quoque furore ac ſtrage vecordes per glandes, tormenta, viros, armaq; inuaſerunt, & vt eo impetu perculſos vidêre hoſtes, ne perturbatis aut reſumendi animos aut impetum inſtaurandi facultatẽ darent, annitentes, cùm iam propè nox interlabens prælium dirimeret victoriam haud dubiam interceptura, inſtare vndequaque pergunt, eodemque tempore, quum equites etiam oblangueſcens certamẽ renouarent, Vacianus, vt equeſtrem tumultum perculſis hoſtibus ageret, triginta equites, quos hactenus ad vltimum ſubſidium reſeruarat, intulit, cohorteſque duas in ſiniſtro cornu ferocius victoriam conclamantes aggreſſus cruento certamine conciſis fere ad vnum omnibus deuicit, quum ex ſuis Ximenen atq; Montalphum & mi-

& milites aliquot fortissimos amisisset. Eo peditum equitumque intolerabili impetu Didaciani iam se amplius sustinere vndiq; perculsi ac cæsi nequierunt, quin reliquam salutis spem in fuga peterent, ipse Didacus, vt præter omnem expectationem tanta vi hostes contendere, & demum suam aciem inclinare vidit, & ipse tenebris protectus fugæ se dedit. Tũ verò Martinus Bilbonus & Christophorus Sosanus, vt ab Duce fortunaque deseri se sensêre, summo furore ac rabie in medios feruntur hostes, seque nomine compellantes, & se Pizarri interfectores alto clamore memorantes cædendo sauciandoque vadunt ira truces, furore præcipites, lymphati, amentes, desperatione cæci, quoad tandem rabidarum instar ferarum vulneribus dissecti in eo fremitu occubuere. Cũ vndiq; iam à Vacianianis victoria conclamaretur, Didaciani pars in montes vicinos, pars Vamantiacum fugam intendit. Didacus vt Cusconem venit, vna cum Didaco Mendesio ab suis Prætoribus Rodorico Salasarte, & Antonio Ruitio Queuara comprehensus est. Cecidere hoc prælio (quod in decimum septimum

Almagriæ norum & ipsius Almagri fugæ

Septembris anni quadragesimi secundi incidit) ferè vtrinque trecenti, atque inter hos Petrus Ansur, &, vt dictum est, Holuinus atque Tordous, qui candidis auro intertexto thoracibus induti quod essent, agniti ob id ab hostibus, & contortis in eos certatim globis confecti fuerant. Omnium verò iudicio eius victoriæ laudem promeruit Caruaial, qui vsque adeo intrepidè morte contempta corpus tormentis obiecerat, & fortissima irruptione primum hostes perculsos in fugam verterat. Secundum hunc proximam virtutis ac diligentiæ laudem tulit Alphonsus Aluaradus, fuereq; adhuc plurimi alij, quorum virtus hoc prælio ab insigni confidentia constantiaq; innotuit, inter quos primum obtinuent locum Benitus Caruaial, cuius sequentes libri multam adhuc mentionem facient, Didacus Aquilera, Hieronymus Aliagus, Ioannes Barbaranus, quem Pizarro exequias celebrasse meminimus, Lupus Mendocius, Didacus Cetenus, Petrus Hinosa, Melchior Verdugus, & Petrus Purtocarrerius, adhuc pluribus factis memorabiliores posterioribus libris futuri. Multa nox fuit, prius

quam

quam milites in castra reuocari possent, quos oēs Vacianus accōmoda oratiōe collaudauit, & gratias egit. Postridiè summo mane curandis saucijs, quorū numerus quadringētos excedebat, et mortuis humādis operā dedit, atq; Holuini & Tordoi cadauera Vamātiaci honorifico funere sepeliēda curauit, sumptsitq; de nōnullis supplicijs, inter quos fuit Ioānes Tellus præcipui inter Didacianos nominis, pauciśq; pòst diebus Cusconē profectus Didacū iugulauit, idē Mēdesio factur, ni is fœlici irruptione carceres effugisset: quibus rebus peractis, Duces quosq; cū militibus, vt eorum onere Prouincia atq; ipse liberaretur, varias in partes scrutandi atq; occupandi misit, Petrū Vergaram in veteres sedes ad Braccamoros, Ioannem Perin in Mullobambos, Didacum Roam ad nouas terras perquirendas versus Occidentalis Oceani littora & Argyreum amnem cum Philippo Guterio ablegauit, ipse vitam aliquandiu Cusconе in tranquillitate atque ocio egit, venitque paulo pòst eò Quitone Consaluus Pizarrus, vnde in Charcātes ad veteres possessiōes reuersus est.

Almagrus iugulatur.

FINIS.

Θεὸς τὸ θέος.

Hiſpani quum in indigenas ſummam inuſitatæ ſeruitutis inſolentiam exercerent, ad eam corrigendam decreta in Prouinciã miſſa ſunt, in quibus inter cætera cõtinebatur, vt, quicunque ſe vel Pizarri vel Almagri factioni immicuiſſent, ſeruis indigenis ſpoliarẽtur. Ad hæc decreta exequenda, cum Proregio nomine in Prouinciam Blaſcus Nonnius Vela miſſus eſt vnà cũ Ephoris quatuor, verũ, quum natura ſeuerus atque immitis ille nullam Ciuitatum poſtulationem admitteret, ſed inexorabili auſteritate decreta exequi vellet, ei ſe Cuſconica ciuitas oppoſuit, Ducémque Conſaluum Pizarrum delegit, qui in ea tum occaſione facilem viam ad imperium ſtratã ſibi conſpicatus publicæ cauſſæ ſimulatione ſuam rem cum Franciſco Caruaiale agere cœpit, quod vbi ab nonnullis ſentiri cœptum eſt, Principes quiq; profugere ad Proregem ſtatuunt, verùm ſeueritatem hominis veriti

veriti ad veniæ impetrãda diplomata Balthasarem Lausanum ad Velã mittunt, qui celeriter diplomatibus impetratis reuerti contendebat, sed re euulgata ab his retractus ac captus est, qui Consalui studiosi Regio ad illum insequendum se effuderant. Tunc Regij tumultu per eã noctem suborto, ædibusq; inquisitis, quum Velæ Proregi nunciatum esset, inter eos profugos Ilani Suuaretij cognatos esse, id illius impulsu factum ratus ad Suuaretium adducendum fratrem misit, qui vbi hominem lecto exire iussum adduxisset, Suuaretius isthic per iurgiũ coram Vela cæsus est, vnde graui & Ephororũ & totius ciuitatis odio in illum orto, decreuit Vela fugere Trugillum, & Regium euastare, sed rem reciscunt Ephori, augetur tumultus & propè ad manus venitur, ac tãdem Vela ab Ephoris capitur, & in Hispaniam destinatur, verùm Aluarus, cuius custodiæ tutelæq; mandatus erat, in itinere gratiam cum capto init,

atque

atq; ita restitutus, quũ Tumbæũ appulisset, bellũ instaurare cœpit. Cõsaluus autẽ, percepta Ephororũ ac Velæ discordia, Regiũ cũ armato exercitu venit, ac tũ palã Imperium ac Prætura Prouinciæ postulat, tandẽque vi & metu ad eũ cõsensum Ephoros pertrahit, dehinc in Velã conuersus eum Popæanã confugere cogit, atq; ipse in summa turpitudine ac voluptate multis mensibus Quitone hæsit, vbi dum tẽpus terit, authore Didaco Centeno apud Argyropolitanos occiso ipsius præfecto Almẽdra nouũ bellũ exortũ est, sed illuc missõ Caruaiale id temerè concitatũ celerẽ finẽ habuit, quum ille Centenũ in antrũ fugere cõpelleret: pari fœlicitate per Alphõsum Hinosam Panamaitis pactione inani elusis, & Melchiore Verdugo deuicto Isthmũ occupauit atq; obtinuit: ipse demũ acri ad Quitonẽ prælio cõmisso Proregẽ Velã Popæana callidè eletũ deuicit atq; interfecit, Regiúmq; triumphabundè reuersus est.

LEVI-

LEVINI APOLLONII GANDOBRVGANI MITTELBVRGENSIS DE REBVS IN PERVVIA GESTIS.

LIBER IIII.

BElLo ingenti confecto, & Pizarri morte Almagrorumq; interitu factione sublata, otiosæ pacis & securæ quietis florem tandem aliquando res Peruuna sperabat, perpetua diuturnorum bellorũ quassatione fatiscens, cùm inexpectatò omnem Prouinciam maximi & longissimi belli turbis alius casus inuoluit, quanquam honestissimo instituto ad deprauatissimæ consuetudinis emendationem sit illatus atq; inductus. Ægerrimè enim nouis homines legibus deuinciri volunt, si indurata iniquarum consuetudinum vsurpatione valescentes frænos inoletæ licentiæ ab ijsdem imponi intelligant. Hispani longa quadam maiorum vsitatione durum & immite in deuictos subiugatosq; Barbarici nominis hostes hominum genus,

genus, qua Mauros Numidasq; tractare solent, ad Occidentem rerum potiti, eandem duritiem atque inhumanitatem vbique in noui Orbis indigenas exercebant, atque idem licentiæ ac potestatis ius sibi in captiuos sumebant, quod priscis seculis Domini Ethnica insolentia audaciaq; in seruos atque verpas vsurparunt. Miseros enim non vilium modo mancipiorum munijs defungi cogebant, sed pecorum instar clitellis ac sarcinis onerabant, noctes diebus fodiundo auro continuare, mensis seruire, fœminarum obsequijs vetere spadonum cõsuetudine adesse, agrum colere patiebantur. Id impudicæ atque illicitæ potestatis malum Cæsar, piorum quorundam hominum sacrati ordinis instinctu addu ctus, noua salutaris decreti constitutione constringendum corrigendumq; haud inuitè suscepit, & quanquam ferè omnibus damnum insigne ex eo accessurum non ignoraret, plus tamen ea in re, ad Christiani nominis dignitatem pertinẽte, pietatis ac modestiæ rationi, quam hominum fructui compendioq; dandum putauit. Idcirco proposita statuta ac promulgata sunt, & in Prouinciam breui missa.

Ius ac licentia Hispanorum in noui orbis indigenas.

missa. Cauebatur ne quis incolam (vti hactenus omnes consuessent) aut domi seruũ præter voluntatem teneret, aut sine laborandi mercede seruilibus operibus astringeret, aut ad portandas sarcinas similiáq; eiusdem fœditatis onera subeũda inuitum compelleret: deinde penitus ijs, qui vel cum Pizarro vel cum Almagro factionum sustinuissent nomen, serui indigenæ adimerentur. Quum hoc decreto incolis succurreretur, eodem negotio ei quoque difficultati mederi placuit, quæ in forensium caussarum actionibus insidebat. Lites enim & id genus actiones intentatas persequentes longè Panamaidem confugere, & interdum longissimo amplius mille laucarum spacio ab domo patriáq; ad immensos impendiorum sumptus disiungi, & longissimo sæpe tempore iudicia ac definitiones iudicum expectare oportebat. Nam quanquam vnicuiq; vrbi ac populo magistratus, iusq; legitimum ad caussarum discrimen diremptionemq; non deerat, tamen summæ iurisdictionis, & extremæ prouocationis authoritas ad Panamaidos Iudices pertinebat. Proinde hinc summi Iudicij sedes inter Va-

Decreta in licentiam lata.

timaliam & Nicaragnam translata est, ad quam vniuersa regio, quæ Terræ Firmæ nomen habet, respectaret, Peruuinis autem caussis archisenatus Regio destinari placuit, cui Consiliarij quatuor, totidemq; Ephori, & supra hos Præses vnus adessent, qui (quod Peruuinæ Prouinciæ magnificentia, & negociorum incidentium grauitas ita benè ferrent) Proregis appellationẽ ac Maiestatem gestaret. At, diuulgato per Prouinciã edicto, quod anno fuit quadragesimo secundo, grauissimus indignantium hominum motus erupit. Nam suis impensis, sanguine atque sudore explorata inuentaq; regione, cùm inter pacta ab Cæsare obtinuissent, incolas, quos cœpissent, suæ potestatis fore dũ viuant, mortuorum etiam filium natu maximum, aut, si liberos haberent nullos, vxorem, eoq; modo connubijs impliciti innexiq; vetustis altas cognationum stirpes egissent, indecens atque iniquum esse clamitabant, se nunc senes, & cicatricibus laceros contra fidem & gratiæ referendæ æquitatem vsitata diu iustorum bonorũ possessione spoliari. Propterea vndequaque ad Vacianum literæ com-

Regij archi senatus Peruuinis statuitur.

Ob decreta hominum in Peruuia tumultus.

ræ commeabant querentium, atque ille ita disserebat, si luculentius res ad Cæsarem referretur, diuersa ratione huic negotio prospectum iri: idcirco conuentum Principũ habendum, ac de communi consilio legationem ad Cæsarem mittendam suadebat, &, quod Regium conueniendo ob loci æquitatem Cuscone videretur commodius, cæteros quoque per literas inuitans eò suo cũ comitatu profectus est. Interea, ad exequenda edicti statuta, Peruuiæ Prorex à Cæsare declaratur celeberrimæ seueritatis Blascus Nonnius Vela Abilanus, qui antè summa cum iustitiæ laude Malacæ ius dixerat, atque illi Ephori sunt contributi, Licentiatus Cepeda Tordesilanus, Lisontius Tiada senator Vallisoletanus, Aluarus eadẽ in vrbe causidicus, & Petrus Hortitius Sarates, itemq; Augustinus Sarates Regio senatui secretorum ac rationum magister. Hi calend. Nouemb. anni quadragesimi tertij naue conscensa fœliciter omnes Theonymã appulêre. Hic dum aliquot dies cunctatione transiguntur, Vela Prorex, (ita enim deinceps appellabimus) quod inter illum atque Ephoros leuiusculis

Prorex ad exequenda decreta in Peruuiam mittitur.

Ephori Peruuini Consilij.

ex rebus dissidium ignesceret in grauissimæ simultatis flammam eruptürum, non expectatis Ephoris, quanquam plurimi rogando obsisterent, naue præparata ex Isthmo meridionali pelago prouectus, fœlici nauigatione Tumbæum appulit. Inde Regiũ terrestre iter apparans, quocunque venisset, incredibili austeritate præscriptas leges exequi cœpit, licetq; Michaëliæ ac Regij Ciuitatum Legati accedenti obuiam missi scripto tradito postularent precarenturq;, vt, cum ad Ephoros eius negotij pars authoritasq; pertineat, nec ipsi soli fas sit quicquam illis inconsultis nesciísue, aut dissidentibus machinari, rem omnem ad ipsorum aduentum legitimumq; Concilij Regina in vrbe habendi conuentum differret, tamen nihil omnino abstinere incœpto volebat, iniquam esse postulationem affirmans, cum decreta infractarum instar legum ad tollendas deprauatarum licentiarum consuetudines, omneq; Tyrannidis euertendum nomen destricta solido Cæsareæ cõstitutionis fundamento incumbant, quæ tenacissima fide ob id præstari sit æquũ, quibusq; nullæ inanium appellationum nugæ inter-

Vela Prorex Tumbæñ venit.

Legatorũ Peruuinorum apud Velam postulata.

Velæ seueritas, & ad Legatos amarulenta respõsio.

gæ intercedere & aduersari aut debeant aut
posſint. Erat enim Vela non ingenitæ modo
ſeueritatis mirè tenax, ſed per ſe ingenio du
rus, amarus & contumax, nec quicquam pen
ſi duceus, modo, eo æquitatis iuſtitiæq; tenore
inuicta obſtinatione confirmato, vel leuiſſi-
mæ exiſtimationis apud vulgus vmbras con
ſectaretur, et nomen ſuum terribili indomi-
tæ ſeueritatis moroſitate in terrorem indu-
ceret, & vel inuiſa fidelitate, maximoq; ple- *Velæ ingenium.*
bis inſanientis odio veterem opinionem gra-
tiamq; ingratus auceps apud Cæſarem tue-
retur. Ita, reiectis Legatorũ poſtulatis, con-
feſtim horrido rumore fama omnem Prouin
ciam eſt peruagata, venire Proregem intole-
rabili truculentia decreta exequentem, nec
vlla appellationum, poſtulatorum, aut refra
gationum nomina quicquam morantem, at-
que hinc multa aliorum commentis addeban
tur, qui maximè concitatam hominum inui
diam Proregi volebant: ob id Vacianiano-
rum varij pullulabãt tumultus, alij reſpuen
dam inuiſi Iudicis audaciam, & authori-
tem nihili faciundã tantiſper cenſebant, dum *Vacianiano-*
Ephori præſcripti adeſſent, plurimi omnino *rum in*
Proregem
murmura.

non recipiendum clamabant, quòd acerbissima seueritatis trucitate non ferendus contra omnem rationem consuetudinemq; Cæsaris clientibus atq; subiectis, legitimum ius audiendi derogando, indignum commisso munere sese fecisset. Hos compescuit Vacianus, beneq; sperare nec dubitare iussit, quin simulac Ephori aduenissent, in legitimo Concilio benignè ipsorum postulata audirentur, atque ita (vti Vela missis ad ipsum literis fieri iusserat) solenni renunciatione Prouinciæ Diœcesi se abdicauit, Regiumq; peruenit. Ibi non minore dissidio disputatum fuit, venientémne Proregem, & ipsa decreta acceptare pareſſet, quum ex ijs quiq; qui seruorum numero duuites sibi consultum volebant, immensissimè occlamarent, dicerentq; vrbem amaro homini, & vel ipso Rhadamanto horridiori præcludendam, & tota Prouincia interdicendum: sed post longas variasq; consultationes tandem Ilani Suuaretij Proconsulis æquitate est factum, vt venientẽ Proregem digno honore excíperent, atque idcirco iam viginti tantum passuum millibus absenti Gauram viros, nomine ac probitate illustres

Vacianus generali Præfectura se abdicat.

Ilanus Suuaretius recipiendi Vela author.

illustres, obuiã officij causſa mitterent. Proinde ab his ad vrbem adductum læta & hilari pompa ciuitas excepit, introeuntem ſub vmbella inaurato parapetaſmate contecta. Proconſules in vrbem, inde Senatores coccineïs togis ſpectabiles ad templum, & ex eo in regiam deduxêre. Paulo antè Vacianiani, vel quòd ſeueritatem hominis timerent, vel quod eidem omnino parere nollent, Vadaciliam, direptis Vamantiaci tormentis, profugerant, quod cùm antè percepiſſet Vela, abſoluto inductionis triumpho Vacianum capi, in publicumq; carcerem abſtrudi iußit, eundem eius profugij motusq; in ſe concitati apprimè conſcium eſſe iudicans. Tum verò ea indignatione permoti optimi quiq;, & ipſi Senatorum Principes circumſiſtere Velã omnes, ſupplicesq; obſecrare, ne tantum ſqualliditſimi ignominioſiſſimiq; carceris probrum ei viro inferret, qui inter Conſiliarios Maieſtat. excelleret, quenq; fortem ac pium Prouinciæ gubernatorem ſenſiſſent. Nam licet poſtridiè etiam capitis damnaretur, honeſtiore tamen cuſtodia dignum poſſe videri eum, cuius virtutem tot honeſti ciues præſentes ſpectaſ-

Vela Prorex Regij recipitur.

Vacianus comprehenſus in publicum carcerem truditur.

sent, & tota Prouincia nõ sine summo tranquillitatis fructu experta fuisset. His precibus Vela adductus liberiorẽ Regiæ carcerem Vaciano indulsit, cùm se prædem centum millium aureorum ciuitas præstitisset, qua tamen nequaquam contentus fide, quicquid Vaciani erat, mulctauit, & iuri subiecit, ita vt ea indigna in bonum virum amarulentia consternati plærique offensos ab eo animos verterẽt, multi obstreperas voces palàm attollere auderent, plurimiq; furtim se Cusconem ad effugiendum immitissimi Iudicis rigorem cateruatim proriperent. Vix hac re peracta cieurataq;, cùm in omnes sæuire inciperet, tandem expectati Ephori adfuêre, Cepeda, Aluarus, ac Tiada, ægro Sarate Trugilli relicto, statimq; haberi concilium, iurisq; administrationem fieri, ac prius de more regium sigillum recipi atque introduci Vela iussit. Id solenni cærimonia in capsa reconditum vehebat equus inaurata syndone constratus, quem sub vmbella Ioannes Leonius Proconsul dextra inducebat. Acceptato per hanc pompam sigillo, variarum caussarum actiones cœptæ sunt, in ipsisque principijs

Vacianus precibus ciuitatis liberatur.

Ephori Regium veniunt.

Cærimonia qua regiũ sigillum recipitur.

vna

vna inter cæteras incidit, quæ, excitata priorum iurgiorum mußitationumq; memoria, asperrimis dißidiorum ac simultatum fluctibus Velam & Ephoros implicauit. Ille Regium proficiscens, infra vrbem viginti passuum millibus cùm ad Gauram peruenisset, locum hominum effugio planè desertum, & duos in muro versus Hispanico rythmo sonoros offederat in se astutè cõuitiosos. Eam contumeliam quanquam ab Antonio Solarte eius loci Præfecto non dubitaret esse profectam, rem tamen impræsentiarum dißimularat, dein Regij inauguratus paulò pòst ad se euocarat Solartẽ, de eoq; conuicio haud obscurè in suam contumeliam perstricto graiter expostulans, quum illi excusare se, atq; auertere culpam, & respondere difficile esset, daretq; titubando manifesta conscientiæ signa, iratus Vela cõcludi vndique palatium iußerat, accitoq; sacrificio, cui reus damnatus supremæ expiationis munia perageret, certum erat nulla longiore interposita mora ad porticus epistylium Solarti gulam frangere, sed ille restitans clamando quærendoq; se contra omne ius ad necem insontißimum

Caussa diſſidij inter Velam & Ephoros.

Velæ in Antonium Solartem ira.

trahi, tantisper remegit, dum excitus Archipræsul cum grauibus aliquot viris accurreret, delinitoq; Vela multis precibus obtineret, vt efferuescenti iræ spacium daret, & Solartem ad carceres reijceret. Dum hîc amplius duos menses squallidus delituisset, fortè accidit, vt ad audiendas reorum causas Ephori captiuos inuiserent, atq; in hunc demum prolapsi rogant, quis eũ huc casus conieciſſet. Is ne sibi quidẽ cõstare asserit, adeoq; nec litem hactenus intentatam esse, nec Iudicem alterius se cuiusquam rei postulare, nisi quod ita Proregis iussu iniunctum dicat, vt se in compedes coniectum carceri demandaret. Statim rem ad Velam deferunt Ephori, nec sibi quicquam criminis aut alterius capitalis causæ in Solarte offensum demonstrant, quamobrem in probrosi carceris fœtores contrudendus videretur, sed ita vulgò ferri, ipsius insana iracundia eò repentè proiectum esse, quod si cum veritate faciat, nec plenior eius supplicij causſa in homine coargui possit, nequaquam iuris æquitatisque se, nec aliud exequi posse, quã Solartem, veluti insontem innoxiumque, indigna immeriti

Solartes ægrè vitæ donata in carcerem conijcitur.

meriti carceris turpitudine primo quoque tempore liberare. Ad ea stomachabundo ore respondit Vela: iussu suo cõprehensum id scelus, in vinculaque coniectum, sibi etiã in optatis fuisse fœdæ crucis supplicio vitam illi finire, scilicet vt memorabili exemplo addiscerent cuncti, quam sibi pœnam expectandam putarent, qui vanorum spiritum leuitate audaces violata Principum obseruantia temeraria calumniarum licentia ad se incessendum ludendumque abuti confiderent. Idcircò cum illum ad suam existimationem conuicioſis rythmis lædendam, aliasque obtrectationes in se criminum spargendas, quæ nemo atteſtari posſit, nulla verecundia abstraxisset, se quoque seuerius iuri suo ad audaciam castigandam sibi indulgendum putasse: nihilo secius capiundi occidendique, quem sua vlciscẽdi libido vellet, liberam sibi potestatem ex regiæ Præfecturæ prærogatiua relictam esse, nec vlla necessitate compelli se, vt ea in reipsorum rationem consensumque respiciat aut requirat. At illi nõ vlterius eius potestatem patere demonstrantes, quàm iuris iustitiæque septa ferrent, Solartem

Velæ arrogantia.

Solartes inuito Vela liberatur.

Bellum in Velam Cuſcone paratur.

tem innocentem pronunciant, liberũque pau cos poſt dies dimittunt. Hæc veluti ſcintilla igneſcentis diſſidij fuit. Dum hæc geruntur Regij, totius propè Prouinciæ vnanimi conſpiratione atrox in Proregem Cuſcone bellum parabatur, ab ijs, qui infenſiſſimo odio Velæ ſeueritatem inſectabantur, & decretis omni conatu intercedi maximè cupiebãt. Hi Conſaluum Pizarrum multis precibus incitatum è Charcantibus Cuſconem euocarant, Ducemque dixerant, qui Regium proficiſceretur, & omnium nomine in Concilio, facta aduerſus decreta appellatione atque eorum poſtulata emẽdatione, publicã cauſſam tueretur. In id & ipſe conſenſerat Didacus Centenus, Cuſconem Argyropolitanæ ciuitatis nomine plena cũ poteſtate miſſus, ſtatimque magna inter omnes deliberatio incidit, præſtarétne ſolum inermi lingua cauſſam agere, an armato cum præſidio Regium venire, pluribusque rationibus propoſitis, quod Vela iam delectum militũ habere cæpiſſet, quod decreta omni trucitate inexorabilis nulla appellatione admiſſa perageret, quòd denique iactitaſſet ſibi ab Cæſare impoſitum eſſe,

Conſaluus Pizarrus è Charcantibus aduocatus dux in Velã creatur.

vt ca-

vt capitali supplicio Consaluũ tolleret, quòd factionibus inductis & cæso Almagro Prouinciam interturbasse diceretur, statutũ est, vt ad se tuendum, ac Proregis omne ius respuentis atrocitatem refutandam sustinendamq; armato exercitu Consaluus iret, cui consilio non tepidis suggillationibus frigidam suffundebant caussidici ac practicis versutijs imbuti, qui, vti precio venales linguas gerunt, callidis vafrorum argumentorum anfractibus funesto impioq; consilio fundamenta rationum quærentes, vim vi retundendam, Iudicemq; audacia non iure contendentem pari ausu virtuteq; optimo iure sustinendum reprimendumq; testabãtur. Proinde Consaluus Dux atque Imperator omnũ consensu acclamatus, cui ob vetus Francisci Pizarri imperium, veluti ad iustam fratris hæreditatem, cupidè ad summam Præfecturam anhelanti Prouinciæ inuadendæ imperijq; occupandi huius occasionis opportunitas mirificè arridebat, probè diligẽtiæ suæ ad inflammandos homines, velutique oleum flammæ addendum, et seditionem augendam copijs armisque parãdis partes agere cœpit.

Ad

Cõsalui ad bellum gerendũ prõptitudo & diligentia.

Ad milites conscribendos commodam illi facultatem præstitere thesauri regij, ærarium publicum, defunctorum bona, & ciuium priuatæ quorundam fortunæ, quibus cum mediocrem manum contraxisset, misit Franciscum Almendram ad itinera claudenda, ne quicquam rerum Cusconе gestarum ad Velæ aures perlabi posset. Scripsêre tum Principes Senatoresque Cusconici ad Argyropolitanos, vt Didaci Centeni consensum, quem Consalui imperio pro sua potestate attribuisset, ratum habere vellent, cum omnibusque virium suarum facultatibus, vt demum Regium iter institutum suscipi posset, ad se venirent: ipse insuper Consaluus per literas vnumquemque sibi notum ac familiarem sollicitabat. Verùm inciderat tum commodùm Respub. in diligentes ac fideles Præfectos Aloisium Riuerium Antoniumque Aluarum, qui, coniecta altius cogitatione, clandestinas Consalui machinas prospicientes id Centeniani consensus nomen minimè sibi curæ esse responderunt, ciuitatemque ob id ea esse animi constantia atque existimatione, vt, licet summum ex decretis detrimentum acce-

acceptura esset, à pristina tamen fide in Maiestatem sua desciscere, quam præ cæteris hactenus religiosissimè coluisset, ignominiosum putet, potiusq; opinetur, vel cum summa fortunarum iactura atq; discrimine eandem in hac etiam caussa Maiestati fiduciã constantiamq; præstare, quàm abrupta obsequij fide nunc noua conspiratione, quæ nihil ab rebellione abesset, in eius leges ac missum Proregem perfidiosè eniti. Hæc non omniũ quidem voluntate rescripta fuerunt, quum multi, Consaluiani nominis studiosi, diuersissimè non modo sentirent, sed ad inuadendã Rempub. Præfectis persæpe insidias struerent. Verùm hi, singulari cura diligentiaque sibi præcauentes, dolos facilè deuitarunt, ac tandem, vt post longos errores ambagesq; in vrbem diplomata sunt illata, assentiente Senatu magna lætitia Velam Prouinciæ Proregem acceptarunt, quare facta, sicuti iussi erant, viginti amplius equitibus instructis per diuersos viarum secretarum anfractus, ad eius tandam Consalui vim, Regium ad Velam sunt profecti. At ille, quanquam arctissimè vias obsideret, ne rerum suarum quicquam ad Pro-

Argyropelitani Consaluo imperium agnoscere nolũt & Velam Proregem accipiant.

ad Proregem perferri posset, fama tamen diu Velam cælare non potuit, qua facilè excitatus (cũ ad ea omnia credẽda, quæ vel incertis & nullo propè authore promanatis rumoribus didicisset, imbecillis, suspicax, & propè odij in se communis gnara conscientia adduceret) bellicæ curæ apparatum instruere cœpit. Ante omnia, vt validis pecuniæ neruis prima Martis initia suffulcirentur, centum aureorum millia sibi accipit, quæ Vacianus Cuscone deportata mox ad Cæsarem auehenda iam naui condiderat, tormenta, viros, arma parat, & cohortes centuriat, equitibus Alphonsum Montemaiorem, & Didacum Cutum præficit, peditum curam Martino Roblesio Pauloq; Menesæo assignat, Sclopettariorum præfecturam Consaluo Diæ attribuit, atque his omnibus Velam Nonnium fratrẽ præponit. Erant illi præter Reginos ciues armati amplius sexcenti, &, vt frequente exercitio militem ad rerum gerendarum veritatẽ acueret, sæpè falsò vulgato hostium aduentu ad arma concini, frequenter in foro militari testudine instructas cohortes circumcurrere, sæpissimè, veluti ad pugnam,

Vela apparatum bellicum instituit.

pugnam, in aciem ire iubebat: atque his ludicrarum occupationum voluptatibus suorum animos experiens, quòd parum æquam Vacianianis fidem haberet, crederetq; liberiorem custodia Vacianum clandestini quippiam consilij præmoliri, dato ad arma signo, dum quisq; discursando occupatur, per certos satellites Vacianum, Petrum Cabreriũ, Ferdinandum Mexiam, Laurentiũ Aldanium, Melchiorem Ramiretum, fratremque eius Balthasarem diuersis vrbis partibus clam comprehendit, liberatoque solo Aldanio, Cabrerioque ac Mexia Panamaidem, & Ramireto Nicaraguam in exilium missis, Vacianum in naui vinctũ tenuit nemini caussam intentans, quamobrem ea supplicij ratione tam præcipitanter cum quoquam ageret. Per id tempus holcades duæ, mercatorijs mercibus oneratæ, ad Arecupianum portum appulerant, quas Consaluus retineri iussit, et conuectis in illas tormẽtis maritimas subuectiones impedire, & Reginum etiam portum oppugnare decreuerat. Eares percepta Velam magno terrore affecit, quod nihil aduersus eius generis vim antea præparasset,

Vacianus secundo captus ab Vela.

ſed cũ ingens periculum euenturum proponeretur, ni id malum matura arte caueret, nauim ipſe etiam in portu parat validam, tormentisque inſtruit, & huic Hieronymum Surbanum cum ſtrenuiſſimis fortiſſimisque militum quibusque imponit: ſed eum metum per ſe fortuna Velæ ciuitatique breui deiecit. Erant Arecupiæ Alphonſus Cazara, & Hieronymus Sernæus, qui Proregis clã ſtudioſi, cognita Conſalui voluntate, noctu ad naues tormenta aduehenda expectantes deſcenderunt, ac trierarchis auro obtruſo victis, è portu in altum prouecti Regium curſum habebant. Nec mora, cognito nauium aduentu, per ſpeculatores ab alta inſulæ vicinæ pharo proſpectantes, ignarus rei Velaratusq; venire oppugnaturas, extemplò ad littus cum equitibus contendit, ſimulq; Surbanus acriter tormenta in aduentantes diſplodere cœpit: ſed vbi velis contractis Cazara atq; Sernæus amicitiæ ſigna dederunt, tormentis ceſſantibus lembis adnauigantes re expoſita Velæ naues tradidere, vnaq; in vrbem magno cũ ciuitatis gaudio ſunt profecti. At Cõſaluus, quicquid vlla ſedulitate ad bel-

Holcades Conſalui intercipiuntur.

ad bellum gerendum contrahere poterat, Cuscone intentus curabat. Vltra quingẽtos sub signis habebat, & veterani nominis plurimos, qui sub fratre eius Vacianoque stipendia meruerant, & sub hoc Duce, quo nemo per omnem Prouinciam vulgari æstimatione ob longam experientiam spectatamque virtutem præstantior habebatur, ad ingentium diuitiarum spem alacriter nomina dederant, postquam è diuerso seueræ Cæsaris leges, & his multò seuerior exactor Vela spolijs prædaq; inhiãtes grauioribus stimulis irritaret. Equitibus Petrus Purtocarrerius, peditibus Ioannes Vellæus Queuara, Sclopettarijs Petrus Cermenius præerãt. Acies tribus distinguebantur signis generalibus, prima regium præferebat, altera Cusconicæ ciuitatis, tertia Pizarrinæ familiæ propriũ, quod postea Petro Pulletio attribuit. Tormenta campestria habebat magnitudine rariore viginti, pulueris, & pylarũ numerum ingentem, cæterarumq; rerum, quas belli vsus postulet, copiam permagnam. Tum verò Consaluus hoc apparatu instructo non clandestinis amplius consilijs viam ad conceptum

Consaluũ ad bellum industria & apparatum.

auidæ mentis explendum præmunire, sed palam in concionibus colloquijsq; propositũ detegere cœpit, simulq; passim creberrimis instigationibus reliquis ferociæ audaciæq; omnis calcaria subdens, amplissimæ suæ causſæ rationes differebat. Quanto ipse fratresque sui labore, quóue capitum fortunarumque periculo Peruuinam terram fuerint perscrutati, atque Cæsaris ditioni nominiq; subiecerint, quantos inde ex eadem auri argentique thesauros in Hispaniam transmiserint, nulli ignotum esse, tamen interfecto crudelissimè fratre Prætore, non modo aut ad natum eius, aut ad se eius imperij legitimã emeritãq; hæreditatem secundum pactorũ tabulas non esse delatam, sed nunc pro meritis gratiaque ad se spoliandos leges atrocissimas obiectas, & his longè atrociorem tetrica fronte & inexorabili pectore exequẽdi causſa missum in Prouinciam esse Blasium Nonium Velam, cui præter omnem iuris consuetudinem cunctam appellationum postulationumq; populo facultatẽ derogare, vniuersam Prouinciam miserrimis turbationum tragœdijs concutere, se vero supra omnes contumelias omni pro-

Consalui Protestatio aduersus Velam & decreta.

probrorum genere lacerare, immaniterque supplicium capitale minitari sit volupe, quando non quicquam modo vnquam aduersus Maiestatẽ abs se delictum cœptumq; sed omni supremæ industriæ vigilantia honori ac dignitati eius fortiter fideliterq; esse desudatum constet. Idcircò sibi Cusconicæq; ciuitati visum fuisse, vt in generali Prouinciæ concilio confidenter aperteq; omniũ caussa ac voluntas postulatioque explicetur, ad Cæsaremque Legati mittantur, qui certius illum de publico statu Ordinumque postulatis edoceant, atque erudiãt, in eam nimirum spem, quòd facilè malo succursum ea ratione iri confiderent, sin verò mutare prorsus Cæsar statuta, aut de earum seueritate aliquid remittere nollet, tum se mandatis morigeros fore, licet vel pronis pectoribus vermiũ instar rependo manibus pedibusque huc contendendum sibi esset, propterea, quo hæc præclaro ordine ex ipsorum Principum adeoque omnium hominum postulatis peragi queant, constituisse se Regium proficisci, & armata quidam manu non violãdi lædendiue quempiam caussa, sed vt se & tot optimos popula

res clientesque aduersus effrænem Proregis inclementiam atque vim conseruet atq; defendat, cũ non modo seueritatis remittendæ illi quicquam animi esse sit certum, sed ad infaustæ immansuetudinis continuandum tenorem in dies adaugendis viribus copijsque comparandis vniuersam curam, studium atque operam penitus adhibere fama increbescat. His iactationibus effecit, vt multi incertæ voluntatis illi adiungi, certamque victoriam sub eo Duce sperare non dubitarent, qui non omnes modo Prouinciæ Duces belli scientia & Martis vsitatione longissimè anteiret, sed fælicibus auspicijs ad vniuersæ Prouinciæ tutelam salutemque aduersus durissimum hominem signis explicatis procederet. Applicuit se magna voluntariorum etiam turba, qui pacis odio & lucri cupiditate ex vicinijs sese passim effuderãt, quãdo præter iactatas hortationes promissaque

Consalui ætas.

Consaluus etiam (vti erat annos quadraginta natus) ab excelso vegetæ ætatis vigore pecuniæ profusus immensæ liberalitatis fama, & studio erga milites incredibili, & virtutum etiam genuinarum illustri nobilitate,

ani-

animiq; magnanimi, & corporis proceri amplitudine, admirationis humanæ modum excedente, mortalium mentes accenderat. Consaluus nihil differendam profectionem ratus, Cuscone eduxit cohortes, quum paulò antè Franciscum Caruaialem exercitui præfecisset. Is proculdubio erat militiæ peritissimus, & recente ad Vamantiacum pugna maximè illustratus, ordinem sub Petro Nauarro Duce clarissimo duxerat, & prælio etiam Ticinensi interfuerat, in quo captus ab Cæsarianis Ducibus fuit Franciscus Gallorum rex, posteaque in Hispaniam vnà cum Catharina Lytonia pellice commigrarat, & istinc in Peruuiam traiecerat, vbi honestè quieteq; vita aliquādiu traducta, ab Francisco Pizarro in eo Prouinciæ tumultu ac Barbarorum rebellione præfecturā Cusconica in vrbe adeptus, & in summo honore, ab Vaciano etiam propter virtutis opinionem habitus, adauctis vehementer facultatibus, & amplius sexaginta aureorum millibus corrasis: sub Velæ aduentum in Hispaniam redire statuerat: sed vbi vectoriam nauim nanciscinon posset, fatris trahentibus ab

Consaluus Cuscone in Velam egreditur.

Franciscī Caruaialis vita & mores.

Consaluo ascitus est, & ab eodē summa præfectura donatus, homo certè supra fidem bellicosus, & supra humanæ naturæ vires fortis, ad octogesimum annū prouectus erat, tamen rara senectus vulgari ingraue scētis ætatis torpore, nec iuuenile rugosi corporis robur, nec florentē grauis animi vigorē infregerat aut labefactarat: statura erat mediocri, sic tamen vt toroso habitu apprimè neruosi ac validi corporis vigorem exprimeret, fatigato aut humus aut sedile cubito caput inclinans tenenti cubile erat, ac semper tempora somni quam noctis arctiora transigebat. Sed has laude dignas corporis dotes ex communi militarium virorū contagio, quos omnium scelerum quotidiana tractatio in omnem licentiam efferare solet, teterrima nequissimi ingenij vicia conspurcabant. Nam quantum corpore insignis, fortis toleransq; videbatur, tantum animo erat vehemens, ebrius & supra omnem modum crudelis, sæpe omnis misericordiæ expers, frequenter ad voluptatem nulla aut exigua de caussa, quem liberet, ad necem raptari atque abstrahi iubens, ita vt demum non sera diuinæ iræ vindicta

Caruaial octuogenarius.

Caruialis animi vitia.

dicta tantæ immanitatis truculentiam postea fœdissimæ necis supplicio miserabiliter extinctus perluerit. Consaluum, quanquam antea in illo temperati ingenij moderatio morumq; honestas egregia pietate condita non defuisset, prosperis rebus desipientem fortuna eâdem viciorũ lue infecit, ita vt ad summam miserabilis Prouinciæ cladem, et bonorum imprimis virorum oppressionem in hac labassantis æquitatis opportunitate non vetus dunta̅xat commendatio atque mutua cognitio, sed par studiorum turpitudo ac similitudo hos coniunxerit, & quod maximè admirandum videtur, demum etiam fortuna vtrunque ad amplissimum omnis fœlicitatis culmen euectum exitiali reflatu aduersa subito ex tanti splẽdoris ac spei fastigio ad turpe supplicium præcipitatum depresserit. Per eos dies fortuna inopinato casu Petrũ Pulletium Consaluo adiunxit. Is, Vanuconi ab Vaciano præfectus, ad Velam salutandi gratulandiq; caussa peruenerat, impetraratq; ab eodem præfecturam veterem ea conditione, vt Proregi beneuolam ciuitatem teneret, ciuesq; ad omne ferendum auxilium, si res fer-

Caruaialis & Consalui similitudo studiorũ

ret, paratos & promptos. Pulletius domum reuersus non id modo industriè faciebat, sed ad Proregis fauorem aduenas quosdam principes pertraxerat, Gometium Solisiũ, & Bonifacium, iamq; Proregis decreta expectabat. Is, vbi opportunum videretur, cum publicis schedulis priuatisq; literis ad Pulletiũ Hieronymum Villegam Vanuconem misit, quibus, vt ad se iuuãdum veniret actutum, mandabat. Recitatis in Ciuitatis cõcilio decretorũ schedulis, et ipsius Velæ spectata voluntate, metus oẽs præoccuparat, ne, si Proregi se applicarent, tristi euentu sibi id cederet, quando Consaluianorum postulatio, & ipsius Velæ seueritatis offensio non paruam suspicionem inferret, ne, Consaluo debellato cæterisq; ad officium obsequiumq; redactis, Vela seueri imperij iugum ciuitati repentè inijceret, & ab inuicta seueritate inexorabilis horridas exitialesq; decretorum leges cunctis imponeret. Proin concordi murmure succlamatum est, vt relicto Vela ad Consaluum transirent, apud quem signa pro libertate, vita, fortunisq; defendendis explicantẽ vberiores spei, opis exitusq; facultates proponebantur.

Vanuco ad Consaluũ deficit.

bantur. Vela celeriter per Ilatopam indigenam Principem rem expiscatus, ad claudendum iter Pulletio Vanuconitisque fratrem Nonnium & Consaluum Diam misit. Hi, quantum poterant, accelerantes properè Vadaciliam, viginti passuum millibus Regio diſtantem, peruenerunt, vbi clam cum hostibus facta cõspiratione Cõsaluus Dias, Nonnium Velæ fratrẽ è medio tollere, & ad Consaluum transire decreuerat. Antecursores, dum ad Pariaxacam vicinum vicum præcurrunt, occurrentem habuêre Thomã Martinianum Prædicatorij ordinis virũ, quem ad rem componendã Vela Cusconem ad Consaluum miserat. Is seorsim cum milite quodam colloquutus aperit, quid in omnes ipsumq; imprimis Nonnium conspirationis sit conceptum, locoq; is ni celere fuga raptim excederet, postremum eum diem victurum ostendebat. Ille externatus, reuocatis suis, cum Thoma Vadaciliam reuolat, vulgoq; ad discutiendam explorati conceptus suspicionem spargebant, irritum persequendi laborẽ esse, quando Pulletium iam in Sausanos penetrasse constaret, at remotis arbitris secretò instans

Consaluũ Diæ in Velæ fratrem Nonnium tacita proditio.

Nõnius insidias fugit.

instans discrimen Nonnio exponunt, &, ni ante noctem facessat, certissimam necem imminere confirmant. Attonitus Nonnius nulla mora clam equis subtractis se subducit, raptimq; sub tenebras proficiscens, deducente Thoma, effugit, Regiumq; perlatus Velam, nusquam fidam opem sentientem, seseq; omnium manifestissimis odijs ardere experiuntem, incredibili luctu onerauit. Vix euaserat

Pulletiani Vadaciliã irrumpunt

Nonnius, quum Pulletiani Duces Vadaciliam irrupere, statimq; Sclopettis omnium pectoribus admotis, & ipsi etiã Consaluo Diæ manibus colligatis astuta simulatione ostentabant, quasi fortuitò non destinato consilio id factum fuisset. Sed nemini dubia esse poterat callida conspiratio, quum, nulla intercedente ira aut simultate, satis abs re alienum appareret, Pulletianos eam vinciendi duritiem Consaluo Pulletij genero inferre. Ex

Rodorici Ninι in Velam constans & laudabilis fides.

his, qui cum Dia missi fuerant, cum tribus duntaxat Rodoricus Ninus euasit, quem, cum hostes nulla re, vt ad Pizarrum transiret, permouere possent, equis vestibusque abreptis omni contumelia affecerãt, ita vt vir genere & dignitate clarissimus pedes, vixq; subli-

subligaculis viliſſimis pudenda contegens, & ſparteis calceamentis pedum plantas defendens aſperrimo itinere Regium peruenireret. Ea autem Pulletij defectio vſque adeo percommoda Conſaluo accidit, vt, ni is caſus rem inclinantem ac iam ruentem inſtauraſſet, non dubium foret, quin in ipſo limite bellum confidenter inchoatum, diſſoluto exercitu & quibuſq; profugientibus, ferè peſſundatum concideret, ipſiq; infœlix vitæ exitus ſubeundus proponeretur. Vix enim Cuſconico agro quum excessum fuiſſet, repentè (quod Conſaluus imperij faſciumq; ſupercilio elatus, ſibiq; quidlibet licere exiſtimans, criſtas faſtuoſo ſpiritu attollere, & imperare atque exequi, quod colluberet, occiperet) plæroſque maximi nominis atque authoritatis Principes palam Maieſtati iniuriam fieri, atque in eandem tumida ſeditione inſurgi, omniaque nõ ad optatam cataſtrophen relapſura præſentientes pœnitudo inceßit. Fuêre inter hos Principes Gabriel, Gaſpar, ac Gometius Roas, Garcilaſcus Vega, Petrus Barcus, Ioannes Saiauedra, Martinus Florentius, Gometius ac Aloyſius Leonij, & Petrus Mangiarus,

Turba in Conſalui exercitu.

Principes qui primũ ab Conſaluo ſeceßêre

giarus, viri toga paceq; spectati, & Peruinarum rerum diuturno exercitio maximè clari. Inter hos nõnulli assumptis secũ schedulis, quas exhibere in Concilio statutum fuerat, furtim secretis viarum ambagibus ausu gêre, quorum defectione tantus perturbatorum militum, vndequaque se iam ab Ducibus ac Præfectis suis deseri ac prodi credentium, motus Consaluianos perculit, vt ferè omnes ad fugiendi cogitationes decurrerent, & ipse Consaluus, hac cunctorum fluctuatione trepidus, in Charcantes ad veteres sedes cum amicissimis fidissimisque quibusque secedere, ac se aduersus omnem vim præmunire isthic cogitaret. Verùm coucitatæ Prouinciæ & manifestæ seditionis initio facto, quum nullum vsquam satius tutiusque consilium inueniret, quã cœptis insistere, eorumque fortunam, quam suo capiti rebusque suis Deus daturus esset, experiri, quo cœpisset itinere, Regium perrexit, cohortationes, quas posset, in vulgus spargens, & famam diuulgans, sibi multorum ciuium Reginorum literis significatum esse, tanta in spe atque hominum cupiditate suum institutum versari,

Consalui trepidatio.

vt,

vt, quanquam ipse cum quinquaginta duntaxat equitibus Regium peruenire, commodissimè optata consequi posset. His atq; alijs incitamentis aliquamdiu spem atque animos suorum sustentauit, sed vbi plurium sensim relaxari fidem & voluntates flaccescere viderentur, tanta cum pauitatione metus ac dubitatio apud omnes renata est, vt vel intra triduum quo suis dilapsuros periculum certissimũ appareret, ni in tanti discriminis momento Pulletius adfuisset, cuius aduentu omnis cum tumultu timor, fluctuantiumque æstus resedit, quum Pulletius, adductis amplius quadraginta equitibus, non militũ modo augmento dubios in deuinctæ fidei officio contineret, sed valido mitissimorum verborum solamine tristes atque abiectos, resuscitata spe atque alacritate, confirmaret, supraq; id in vulgus editũ esset, si minus Consaluus cœptã caussam persequi vellet, id per se Pulletium cum suis facturum. At Gaspar Roas, cæteriq; omnes, quos iam Consaluiani imperij pertædebat, tacitè inter aures mussitantes perlibenter ad petendam Velæ gratiam, fugiendumq; perduellionis crimen conuer-

Pulletij aduentus Consaluianis animum reddit.

Gaspar Roas cum suis ad Velã transfugere cogitat.

conuersos animos inclinarãt, sed, quod primi seditiosæ temeritatis authores fuissent, pœnã veriti, neque seueritatis Velæ ignari, vix rationem dispicere poterant, qua pacem, libentibus ac propensis quidem votis petitam, consequerentur. Tandem id constitutum fuit, vt ad Velam Regium Balthasar Lausanus vnà cum Ferdinando Caballio sacrati ordinis cum literis mitteretur, atque is suis verbis proponeret, si certa rerum perpetratarum venia tabulisq; confirmata daretur, ipsos quamprimũ, relicto Consaluo, ad illum transituros, nominisq; authoritate cum reliquos antecedant, vix esse dubium, quin aduersa tantorum virorum defectione reliqui aut idem desciscendi consilũ sequuturi sint, aut, Consaluo deserto, dissoluti vagique diuersas in partes profugituri. Lausanus, labori industriæque nulli parcens, summa festinatione vnà cum Caballio Regium peruenit, postulatisque declaratis, celeriter ab Vela impetrat optatũ veniæ donatæ diploma, ac, re diligenter curata, secreto iterũ ad Consalui exercitũ viã habebat. Hoc negotium, quanquam summo silentio confectum erat,

Balthasar Lausanus & Ferdinandus Caballius ad Velam veniæ quærẽdæ caussa mittuntur.

diu

diu tamen clam esse, & hos imprimis fugere non potuit, qui Consaluo ex occulto fauebãt, vniceq; indomitam Velæ atrocitatem, vt in securitate decretorum immunes viuere possent, exterminatam prostratamq; volentes, etiam ijs cœptis, quæ ab manifesta rebellione non abhorrebant, studioseè cupiebant atq; patrocinabantur. Quocirca, vbi cum tabulis ac diplomatis discessisse Lausanum didicerunt, certoq; prospicerent, si ea virorum capita, qui inueterata prudentiæ authoritate valebant, studijs repentè mutatis deficerent; gregarijsq; ab primatum ferè consilijs pendentibus, suasq; in ipsorum factis spes repositas continentibus, fidei instabilis exemplum præberent, de Consaluo, cæterisq; actum esse, qui insolentissimè acerbissimeque dominanti Velæ, atque nocentissimis Cæsareorum decretorum statutis opponere atque obiectare se intrepidè ausi fuissent, ad Lausanum Cabelliumq; retrahendos circiter viginti celerrimis equis sub vesperam se effuderunt. Inter hos Principes erant Balthasar Caster, Laurentius Mexia, Rodoricus Solasartes, Didacus Caruaial, Franciscus Ascouetus, Petrusq;

trusq; Martinus natione Siculus. Non fefellit volantes rapida celeritas, Lausanum Caballiumq; vico in quodam hospitantes deprehendunt, diplomataq; abripiunt, & ea ad Consaluum mittunt, & ad eius castra cum captiuis Petrus Martinus profectus est. Consaluus primum nonnihil attonitus, deinde de tanto fortunæ beneficio plurimū sibi gratulatus schedulas delatas secretissimè vnà cum Francisco Caruaiale perlêgit, deinde easdem cum præcipui nominis Ducibus, quorum fidei maximè confidebat, communicauit. Horum omnium, prò vt quisq; grauiorem supplicij pœnam ex ea proditione sibi futuram ominabatur, aut seueræ sententiæ luculentiora præmia ab Consaluo captabat, concors censura erat, vt insignis supplicij inusitata atrocitate cæteris tanti facinoris concipiendi metus incuteretur. Nec mora ea sententia pronuntiata, ipso Pizarro ab hac crudeli concitatione inflammatam mentem in omnem immanitatis cogitationem demittente, damnati sunt Gaspar Roas, Arias Maldonatus, Philippusq; Gutirius, atque hi duo Vamantiaci, cum serius fugam distulissent, missio

Lausanus ab Consaluianis capitur.

missō Petro Pulletio sunt interfecti. Roam autem tollendi difficilior facultas suberat, quum virum præpotentem, magnisq; clientibus subnixum, & omnium ferè militum familiarem, aperta cæde sternere metus prohiberet. Tandem Consaluus tormentis directis, acieq; instructa, quum ad arma concini iussisset, Ducum concilium aduocari iubet, veniensq; inter cæteros Roas, vbi insidias sensit, aliò simulabundus deflexit, & reliquos castra ingressos dum consultis fabulis distinet Consaluus, Caruaial à tergo Roæ assistens, manu in eius ensis capulum statim iniecta, ensem destringit, & nequicquam se excusantem, ac ius implorantem trucidari iussit. Hæc cædes, quæ Consalui Tyrannidis truculentiq; dominatus principia funesto conceptu inchoauit, cunctos factæ conspirationis socios, vrgente conscientia summo pauore externatos, maxime permouit, quum præsens in summis Ducibus sui quoque exitus exemplum tristi aspectu conspicati, parē supplici casum suis capitibus augurarētur. Post hæc, vt cognitum fuit, captiuos Lausanum atque Caballium in castra adduci, Cōsaluus

Initium tyrannidis Consalui.

Gaspar Roas, Arias Maldonatus, Philippus Gutierrius ab Cō saluo interfecti.

Lausanì periculum.

Caruaialem eo itinere, quo aduentare rebatur, obuiã proficiſci, in crucemq; agere iußit, ſed hoc miſeris in extremis anguſtijs fortuna fœlicitatis indulſit, vt altera via ducti in caſtra peruenirent, vbi innumeris aliorũ deprecationibus vita donata, ad ſeruile eruendi auri opus damnati ſunt, & Caballius demum, laqueo ſuffocatus, vitæ finem nactus eſt. At Regij vbi cognitum fuit, quoſdam ad perſequendum Lauſanum citatiſſimè effuſos Vela per Didacum Vrbinam vigiliarum Præfectum, qui inter commeandum in ipſorum ædibus ſolitudine reperta totam vrbem ad Conſaluum effuſam renunciarat, certior factus, & haud ſecus, quam par erat, motus, ſignum concurrendi ad arma dari, ædesq; tantiſper inquiri iußit, dum de ijs, qui profugerant, certius cognitum eſſet. Igitur, cùm inter reliquos ædium ſolitudine indicante Didacus Hieronymusq; Caruaiales, & Franciſcus Aſcouetus deprehenſi eſſent, Velæ fatalis ſuſpicionis zelotypia obrepſit erga Ilanum Suuaretium, quẽ authorẽ fuiſſe oſtendimus, quod Regij Prorex reciperetur. Nam quod hunc profugi cognatione attin-

Velæ Prorẽgis ſollicitudo.

attingerent, & communes ædes haberent, Ilani instinctu ad Consaluũ seceßisse, aut hercule saltem eius propositi rite conscium participemq; fuisse, Vela certißimè suspicacißimo animo persuadebat: quare extemplò cum magna Sclopettariorum parte Nonniũ fratrem ad Ilani ædes mittit, vt eũ sibi captiuum adducat. Is, quia profunda tum eius vesperæ nox erat, qua profugos ad Lausanum persequendũ euolasse diximus, ignarus, securus, & supremæ imprimis horæ nescius, quieti nocturnæ indulgebat, excitatum proinde vestitumq; vbi Nonius adduxit, Vela proditorem appellat, perduellionisq; postulat, eiusq; scelere factum dicit, quod ipsius necessarij ad Consaluum profugissent. Varia hîc rei gestæ est opinio, alij, cum impauidè respondisset Ilanus, immeritamq; accusationem leniter respueret, furore imflammatum Velam gladio arrepto transadegisse loquenti pectus, alij, & ipse ita factum postea testatus est, confidentius & veluti altercabundè sibi patrocinantẽ ab proximis satellitibus hastis trãsfixum fuisse putant. Certè, si vel non absurdis ab signis iusta in hominem suspicio cade-

Omnẽ crede diem tibi diluxisse supremum

Ilani Suaretij cædes.

re potuisset, ea tamen vel ob id Ilanus cæde indignus censeri poterat, quod, quum ille acceptando inducendoq; Velæ quondam fuisset annisus, beneficij accepti memoria nõ impia modo ingratitudine non contaminanda, sed minimè detestabili scelere accumulato vio lãda videretur. Interfectum tolli iussit, sed, ne cognita gratissimi viri cædes cruentissimum in se militum tumultum excitaret, qui numero ferè centum singulis noctibus in area ad regiæ portam excubabant, si in ipsorum conspectu aueheretur, postico porticu, qui ad forum pertinebat, demissum cadauer est, per certosq; seruos exceptum, & in templum deportatum, vti erat quisquiliatæ togæ inuolutum, terræ mandatum est. Postridiè, anni quadragesimi quarti ipsis Idibus Septemb. cum magna equitum parte Vela ad retrahendos profugos Alphonsum Montemaiorem misit, qui vel summa celeritate nihil efficere potuit, quum illi iamdiu longeq; præuecti essent, in reditu tamen Hieronymum Caruaialem cœpit, qui sodales non eadem festinatione sequutus, & ab via aberrans, in arundineto ad persequentes eludendos se occultarat,

Centũ milites in Velæ ædibus excubant.

Hieronymus Caruaial ab Velanis capitur.

rat, verùm diligenti Montemaioris sagacitate quæsitus, & captus, non dubium erat, quin in supremo vitæ periculo versaretur, nisi tum ipse Vela ab Ephoris captus, vti dicetur, fuisset. Illi enim, postquam cognitũ fuit Ilanum, ea nocte ad Proregis ædes eductum, nusquam interea amplius comparuisse, extemplò Velæ atrociſsimam litem intentarũt, quæstioneque decreta ad ipsius veritatis cognitionem exactiſsimè habendam sepultum corpus effodi iussêre. Tum verò vt, vulneribus deprehensis, planè perspecta cædes fuit, quum omnium mentibus pietas, studium, fauorq; Ilani in Velam perpetuus facilè adhuc alte inhæreret, iamq; supra horridæ seueritatis Tyrannidem vsque adeo sæui facinoris turpitudo veteris hulceris cruciatum dira vngue scalperet, vniuersa incolarũ ira odioq; nunc veluti iusta de caussa in inuisum antea incalescentiũ ciuitas inusitato tumultu stridoreq; contremuit: adhæc iratis astutæ Consaluianorũ suggillationes accedebãt, qui rectiſsimæ occasionis tempore ad augendam odiorum flammam subditis omnium calumniarum fomentis strenuè vtebantur. Adduce-

Ephori Velæ ob Ilani cædem intendunt litem.

Omnium in Velam ira ob Ilani cædem.

cebat Vela cauſſas, cur Ilanum tollendũ putaſſet, non veritatis quidem abſimiles, ſed tamen nequaquam firmas, & dubijs tantum ſignis conceptas, nempe quod haud dubiè eius fugæ ab cognatis initæ apprimè conſcium illum fuiſſe oportuerit, quum cum ijſdem communes ædes haberet, præſensq́; eorum conſilijs conuentibusq́; intra vnos parietes quotidiè adeſſet. Porrò in cæteris etiam rebus omnibus ſemper auſtero ore ingratoq́; aſpectu erga ſe minimè propitij animi iniquitatem ac morositatem prætuliſſe, quondam etiam dediſſe ſe ei literas ad Licentiatum Caruaialẽ Cuſcone agentẽ, dandas ad ipſius fratrem, vt ille ad ſe omnia perſcriberet, quæcunque Cuſcone ab ſeditioſis in dies gererentur, nihil tamen vnquam accepiſſe ſe reſponſi, quum vtrinque tutò ac facilè nuncij vltrò citròq́; commeare poſſent. Verùm, quum ſatis Ilanprobitas cunctis ſpectata eſſet, Vela implacabili inuidia deflagrare ſe, et excuſationes ſuas nihil proficere ſentiens, inter iracundiæ patratique ſceleris pœnitentiam vſque adeo attonita & ſuſpenſa mente ſtetit, vt dignitatis ſuæ oblitus, imminentemq́ue ante omnia Conſal-

uum

uum timens, in vnam salutis suæ curam totus incumberet. Propterea, ab cruenti ingenij sæuitie dirum animum induens, statuit Trugillum profugere, vrbemque Reginam, deportatis mulieribus plærisque & terra omni late euastata, miserabili populatione fœdare. Summa consilij eius erat, vt crederet sibique persuaderet, quum Consaluus, tãtum iter emensus, vna cum tormentis cæterisque carrorum ac sarcinarum grauissimis impedimentis Regium perueniret, si expilatam semiuersamque vrbem et omni commeatu exinanitam milites offenderent, vbi itinere fatigati omnium rerum adiumenta se adepturos speraſſent, ac deinde in restantis itineris, quod Regio ad Trugillum vsque pertinebat, eadem vastatione exhaustis passim hospitijs & præuerso commeatu horrendi reputationem examinationemque venirent, cunctis repente animos in pedes collapsuros, nec vsque adeo inepti ardoris odioso Duci studia præstituros, vt eò contẽdere vellent, quo assiluentis sabuli intertrigine fatigatos, & fame ac siti, æstuque perituros nemo sani iudicij peruenire posse speraret. Hoc consilio con

Vela profugere statuit

ſtituto, Didacum Cutum parare naues, liberoſque Franciſci Pizarri imponere, & eos cum Vaciano conſeruare iubet, ne eoſdē, vti ab Conſaluo miunctū ſecretò metuebat, Antonius Riuerius vxorque eiuſdem latebris reconderent. Id factum rumore vulgatum non popularium modo iram exauxit, ſed Ephoros etiam impulit, vt manifeſtum diſſidiorum certamē aduerſus Velam ſuſciperēt, ac primo Sarates, qui iamdudum aduenerat, domi hominem aggreſſus illum ab humanitate verecundiaque alienè facere oſtendebat, quod Franciſcam Pizarri filiolam, forma liberali pubeſcentem, inter inciuilem, laſciuamque & impudicam rudium nautarū turbam redigeret, id verò præter Cæſaris voluntatem ac mandatum fieri, quòd vrbe excedere & aliò commigrare deſtinaſſet, cui palam ab Cæſare iuriſdictionis ſedem aſſignatam ſciret, ſe verò minimè prius diſceſſuros, quā diuerſæ cōſtitutionis diplomata accepiſſent. His Vela perceptis Ephororum voluntatem agnoſcens, decreuit regium ſigillum intercipere atque ſecum auehere, vt ſic ſublatares confectas ſignandi facultate, Ephori, ſi minus

Ephororum ac Velæ atrox diſſidium.

nus se sequi vellent, quicquam agendi potestate orbati velut priuatæ personæ absque caussis tractandis permanerent. Verùm id quum illi expiscati essent, acciuere ad se Cancellarium, penes quem regium sigillum erat, & hoc illi ereptum apud Cepedam ætate cæteris honorabiliorem deponunt, deinde sub vesperam in eiusdem Cepedæ ædibus conuenientes statuunt secundo rem ad Velam referre, vt Pizarri liberos nauibus exponeret, quod si ex veteris consuetudinis morositate id recusaret, placuit enarratis populo, militibus Ducibusque regij diplomatis aliquot schedulis interdicto edici, ne qui ea in re Proregi, ad classem quempiam abstrahere volenti, parerent, & liberos à suo complexu auelli paterentur, sed omnes constanter armis desumptis ad iniquã vim repulsandam sibi assisterent, paribusq; fidelium voluntatum studijs ad defendendam charorum pignorum salutem, libertatemq; sese Ducibus concursarent. Hac re curata schedulas ac codicillos aperiunt, et cum Martino Roblesio, quem peditibus ab Vela præpositũ diximus, secretò conferũt, & eundẽ rogant, ne tãtam præ-

Ephori in Velam conspirant.

præfractiſsimi hominis licentiam ferret, ad eamq; reprimendam ipſius conſilium, opem ac vires ſibi aggregare vellet. Id ſe facturũ prolixè ſpopondit Robleſius, qui hoc tum libentius ab Vela ſe alienari patiebatur, quod id temporis nonnihil iurgij ac ſimultatis cum illo gereret: idem multi ex ciuibus polliciti ſunt, quibus rẽ ſimiliter Ephori cõmunicarant. Hæc agitantes quanquam tacito & maximè ſilente conuentu negotium inter ſe facerent, emanabat tamen ad Velam vel tenuis harum rerum fama, ſic vt multa intentè diſcurſando quælibet ſubodorantium, auditaque narrantium, quanquã obſcura & incerta delatione, tamen ad incutiendam ſuſpicionem curamq; ſufficiente, proderentur. Id quoq; vſq; adeo clam fieri nõ poterat, quin idem Robleſius perſentiſceret: is, priuſquam plenè ſuſpicio Velæ igneſceret, trepidus ad Cepedæ ædes accurrit, renunciatq; quicquid in manu haberent, maturandum velociter eſſe, ſi ipſi periculum euadere, & conſtitutorum euentũ optatum adipiſci vellent. Extemplò vocantur Aluarus ac Tuda: Robleſiani aliquot milites cum ciuibus non-

Regij tumultus inter Velam & Ephoros.

nonnullis coëũt, fit per vrbem discursus, sed tacito adhuc murmure pastus. Didacus Vrbinas, vigiliarum Præfectus, aliquot ex his militibus factus obuius, vbi facilè rem suspicaretur, ad dormientem Velam accurrit, sed ille subridens, ridiculumq; duntaxat aliquot tunicatorum ludibrium fieri iocãs, securum esse iussit. Vrbinas reuersus, vbi equites aliquot Cepedæ ad ædes properare vidit, secundo ad Velam reuolat, & visa exponit, tumultumq; grauiore sensim strepitu patescere atq; augeri indicat, & serio exhortatur, vt festino occursu insurgens periculum malumque præsens occupet. Tum nonnihil perculsus Vela vestibus armisq; sese induit, in forum cum militibus prodit, ipsumq; stimulabat animus è vestigio Cepedæ domum aggredi, Ephorisque in vincula coniectis, sedare tumultum, ciuitatem pacare, seditiosos iustis supplicijs afficere: sed, vbi armatorum militum in ipsius conspectu ruentium ad ædes Cepedæ multitudo coërceri non posset, insuperq; Alphonsus Palominius assereret vniuersam ferè ciuitatem ad Cepedæ ædes confluxisse, à proposito deterretur, iamq; propriæ salutis cura solli-

Vela Ephoros contemnit & irridet.

ſollicitus intra tecta ſe recipit, armatosque ad portæ valuas, atque intus per certos Duces diſponit, & ibi rei euentum opperiri ſtatuit. Ephori interea certiores facti, in foro ſtare Velam, in animoq; habere ipſos adoriri, ſatius iudicabant ex ædibus in apertiorẽ aream prodire, ne, circumueniunte Vela, alijs ſubſidio aduolare volẽtibus, acceſſus præcluderetur. Ita & ipſi ad forum contenderunt, plurimaque ex itinere turba ſe vadentibus adiungente, recitantur ſchedulæ regij diplomatis, quũ tamẽ præ ſtrepitu, vociferatu, clamoreq; gannientium hominum nihil aut certè exiguum intelligi ac percipi obturatis auribus poſſet. Vix forum ingreſſi cùm eſſent, Velani Sclopetta aliquot ab ædium proceſtrio elibrare cœperunt, quibus aliquot ictis vſque adeo graui reliqua multitudo ira exarſit, vt, quin quamprimum in portam irrumperent, Ephori vix compeſcere poſſent. Illi potius quietè rem componi conantes Gaſparem Caruaialem inter Prædicatorios hypocœnobiarcham, & Antonium Ferdinandũq; Robleſios ad Velã mittunt, qui ſuis verbis denunciarent, ſe ab eo nihil & velle & poſtu-

Legati Ephororum ad Velam & poſtulata.

postulare aliud, quam vt cõmigrandi, ciuesq; ad classem abstrahendi conatu abstineret, id satis aperte cõtra Maiest. statuta esse callens, veniretq; inermis ad colloquium in sacrã ædẽ, vbi ipsum expectaturi essent, alioqui ipsius periculo maloq; fore, si cũctaretur. Legati vix ad portã peruenerant, cũ repentè valuis apertis præsidiarij deserta statione fugiunt, & se hostibus Velæ adiungunt, quod Ephororum milites conspicati ædibus se infudere, inferioraque cubicula direpere cœperunt. Vela tumultum percipiens, sentiensque se ab suis desertum, & ædes hostibus iã propè completas esse, quum sibi mandatis necessario parendum videret, in sacram ædem descendit, seseq; Ephororum potestati fecit, quem hi, sicut armatus erat, inde in Cepedæ domũ abduxêre. At demum cum res ad altiorẽ futurorum cogitationem, & quid captiuo fieri præstaret, in deliberationem vocaretur, tum certè id à se perpetratum serò agnoscere cœperunt, quod ipsos in valdè periculosam salutis, dignitatis, existimationisq; aleam esset perducturũ. Suberat enim ipsis in arcano ingẽs metus, si vel aduentãtis Consalui, vi vel

Vela ab suis deseritur.

Vela in Ephororum potestatem venit.

clande-

Ephororum trepidatio & sollicitudo ob Velam captum.

clandestinis malignorum hominum ad Ilani vindicandam cædem insidijs oppressus tolleretur, atque inde aliquid turbarum, crescente hominum audacia, proueniret, ne omnis eius ignominiæ culpæq; labes in se deflueret: sin verò custodia carcereq; exemptum in libe rum pristinæ potestatis seueritatisq; cursum emitterent, aut aliò solum ablegarent, altera occurrebat cura, ne quælibet in longè deteriora grauius miseriusq; degenerarent, & ille aliquando, viribus resumptis reuersus, se iam irritata sæuitie miserandum in modum obrueret. Nihilo secius, vti in facinore audendo incœptatis principijs reliquum continuare fidenter solemus, oportebat hæc patientibus animis deuorare, & euentum, quẽ fors daret, consequi: quocirca, Imperatore Cepeda declarato, captiuum, vt inde in Hispaniam naui aueheretur, ad littus deduxêre. Erat

Didacus Cutius Velanæ classis præfectus.

classis in potestate Didaci Cuti, quem ad abducendos Pizarri liberos ab Vela ad naues missum diximus: is, cognito Velæ casu, turbam venientẽ ad littus conspicatus, cũ grandiore lembo, in quem tormenta aliquot cum Sclopettarijs demiserat, Hieronymum Surbanum

banum ad nauigia intercipienda misit, atq; inde ad Ephoros proficiſci, &, vt Proregem dimittant, petere iubet. Illi poſtulata ſe facturos promittunt, ſi viciſſim is Pizarri liberos redderet, & in continentem exponeret. Cutus nihil in tam neceſſarij temporis momento ad Proregem liberandum ratus recuſandum, lembo Pizarri liberos cum Antonio Riuerio atque eius vxore remittit, at non eadem integritate promiſſorum fidem Ephori exoluêre, quum Velam haud tantum secus, atque promiſerant, non dimitterent, ſed eidem truncaturos ſe caput Cuto minarentur, ſi claſſem tradere recuſaret: verùm cũ nec Cutum minis, nec Surbanum precibus præmijsq; permouere poſſent, Regium Velam arctè atque prouidè cuſtoditum reduxêre. Habebat hæc claſsis naues decem, Cutusque intelligens ab Ephoris ad illam expugnandam omnia præparari, maturè Regino ſinu excedere optimum ſtatuit, &, quum præ hominum paucitate lembos tueri non poſſet, eoſdem incendit, fugiensq; Gauranum in ſinum vela intulit. Hoc enim conſilium propoſuerat, quum claſſi de commeatu ritè vel

Ephori promiſſa non ſeruant.

T in lon-

in longum tempus prospectum esset, errabun dè circa littus tantisper vagari, dum res Peruuinæ certiorem ad statum tumultibus ci curatis conualescerent, aut, quid sibi faciun dum incumberet, nouo Cæsaris misso decreto doceretur. At Ephori, qui strenuè adnauigantibus hominibus lembos, licet semiustos, summa tamen aquam infundentium contention seruandos curarant, vbi Gaurano in portu versari Cutum acceperunt, ratiq; propter Velæ periculum nõ vlterius prouectum iri, bona rem benè gerendi spe terra mariq; milites ad classem capiendam emittunt. Datur negocium maritimæ rei Didaco Garziæ, qui vna cum instauratis lembis ad portum profectus se latitabũdus post prominentioris extantiæ locum cõtinebat, quũ circa eundem Ioannes Mendocius, & Ventura Bertranus terrestri itinere profecti secretò intentiiacerẽt. Cutus, strepitu Sclopetorum audito, vti frequenter euenerat, adesse existimans Velæ studiosos, qui descendere cuperent, adnauigare Nonnium iussit. Huic littori appropinquanti è latebris erumpens Garzias ab latere inuectus est, simulq; tormentis vndique emissis

Ephororũ conatus ad classem capiendam.

emissis sese dedere Nonnium compulit. Is cassus, & minæ insuper iactatæ, quibus Nonnium se trucidaturos Duces profitebantur, Cutū ad classem tradendā coëgerunt, quum pridiè commodum, quàm in Gauranum sinum Garzias veniret, Hieronymus Surbanus vno cum nauigio Cuti iussu discessisset. Hac re cognita, Ephori Velā in Hispaniam ad Cæsarem caussa indicta amandare constituunt, & qui abducat, octo aureorū millium salario ad profectionem designato, Aluarum decernunt, schedularumque explicationes ad Cæsarem dandas dum parāt, Aluarus Gauram terrestri itinere profectus est, Velā tum, metu Ilanianorū in insulā contrusum, Garzianus nauiculator aduexit. Dum in insula versaretur, quæ non duobus passuum millibus ab Regino sinu aberat, Alphōsus Montemaior, quem ab Vela ad profugos retrahendos missum diximus, quum in vrbem reuersus esset, ab Ephoris cum alijs quibusdam captus, & in Roblesij ædibus in custodia positus est. Ibi inter se captiui Proregis casum lugubri questu deplorantes, quum satis viderent, si Vela liber esset, egregiè Consaluo

Ephoriam classem astu & minis Cuto extorquēt.

Aluarus ad Velam euehendū in Hispaniam delectus.

resisti, rebellium contundi atque infringi conatus, insurgentem Maiest. seditionem compesci, & deniq; malis in isthoc dissidio expectandis occurri posse, statuêre, facta conspiratione, armata vi Velam ex insula carceribus eripere, ac libertati dignitatiq; pristinæ restituere, &, si ita ad quietem parandam opus videretur, Ephoris manus inferre, atq; vrbem Maiestatis nomine capere ac conseruare: iamq; tãta exquisitarum machinarum arte rem conceptam instruxerant, vt nõ magno negotio destinata perfecturi viderẽtur, ni per militem incontinentis linguæ quendam idipsum Cepedæ detectum fuisset. Quapropter, cùm nulla tormentorum adhibita atrocitate ab aliquo constituti sceleris confessio exprimi posset, proscripti sunt Montemaior, Paulus Menesæus, & Alphonsus Cazara, qui initæ coniurationis Principes erant, & post longos errores varijs periculorum ac miseriarũ iactatus procellis Montemaior Tumbæum, sicuti dicetur, ad Velam reuersus est. Is tum Garziano nauigio Gauram vectus ad nauigationem Hispanicam in Aluari potestate agebat. Hic, inter cæteros

Conspiratio ad Velam liberandũ.

Conspirati proscribuntur.

teros longè princeps, author huius tragicæ conturbationis fuerat, primusque omnium Proregis Maiest. contumelioso contemptu incessere ausus, miserrimi Velæ calamitatis veluti fundamenta iecerat, solertissimeque ante omnes seditiosis incitamentis consilijsque frigidam, ad inferendas Velæ manus, suffuderat, iam, vbi omnia sua opinione deteriora acciderent, deceptus suiq; dispudens, quod in summæ impietatis perfidiæq; crimen deuenisset, & voluntaria etiam miseratione tanti viri contactus, pœnamq; insuper non occulto pauore extimescens, si vir atrox, & natura in omnem vindicandæ contumeliæ acerbitatem abiecta humanitate pronus aliquando præsentis miseriæ angustijs extricaretur, vel ipse Cæsar Ephorum caussam audaciamq; damnaret, id detestandæ proditionis facinus ingentis beneficij nomine expiare, inflictamq; Velæ calamitatem æqua gratia permulcere arcano conceptu statuerat. Erat enim ab versatili ingenio cœptis inconstans, & in varias nutantis animi commutationes volubilis, quo opportunè temporum rationi, & hominum voluntatibus cal-

Aluarus cum Vela reconciliari studet.

lidè quidem, sed parum honestè, deseruire nouerat, iāq; ne in ambiguo casu omnis culpæ pœna in se fortè recideret, sed vt supplicij metum culpāq; conturbationis ac seditionis iniectæ sibi eleuaret, cum Vela conciliari volebat, facilè ab homine veniæ locū sibi spōdens, quum communi studio mortales in angustijs quascunq; euadēdi rationes quærant, & vel ab infensissimis hostibus oblatas iræ odijq; veteris obliti perlibenter arripiāt. Idcirco, quam schedulæ perferrentur, prius conscendit, proculq; iam in altum prouectus cùm esset, ad Velam ingressus, *Si magnificè, inquit, heros stabiles, & vnico pietatis tenore constantes, nec tot incertis vacillationum ruinarumq; minis obnoxias mortalibus mentes Dij fecissent, nō etiam vsq; adeo infinitis casibus procax fortuna res humanas versaret. At, quum hæc communis natura sit nostra, vt omni tempore semper æquè pij perpetua ingenij constantia nostri similitudinem conseruare non valeamus, sed pro vario instabilis cupiditatis æstu, nunc hæc nunc illa expetentes, facientesque, miris incertitudinum rotis in horas circumagitemur, laudanda*

Aluari ad Velam oratio deprecatoria.

danda benefacientium virtus est, peccantium error boni consulendus. Is certè communi mortalium opinione ad Deos quam proximè accedit, qui talẽ æquabilis animi habitum præstare potest, vt benefacientibus iustæ gratitudinis officium exhibeat, offendentes placida mente, ratione Duce, perferat, & vel immeritæ gratiæ pietatem pœnitentibus non deroget. Illud tibi familiares obstringit, hoc odium atque inuidiam in te æstuantem extinguit, atque ex hostibus amicos facit. Sed vti antea cogitasse hæc expediisset, priusquam mutua culpa valuisset fortunæ impotentia, ita nunc admonere non inane erit, scilicet, vt animis vtrinque ad se redeuntibus non serum dissensionum furori remedium adferatur, & prius, si quæ adhuc fidei, charitatis aut amicitiæ partes restant, memoria iusti muneris reuuiscente sustineantur. Vide, qui te in manu habeo, arbitrioque subiectum quodammodo teneo, sponte tibi supplex asto, qui huic fortunæ insultare possum precor humilis, imò hoc corpus tibi dedo tradoque. Nimirum ea pœnitentiæ veræ vis ac

vehementia est, vt in sui authoris respectum penitus cæcutiat, famamq; aut hominum curas posthabeat, atque vno tantum nisu per laudem, per probrum, admissæ noxæ turpitudinem vero piaculo eluere contendat. Ego neque diffiteor, neque te coram silebo, à me suprema malignitate atque vecordia impiamentis adducto omne iniuriarum contumeliarumq; genus in te esse congestum, quod ab iratissimo hoste subuerso omni humanitatis ac rationis iure vix possit infligi, sed hoc nũc tibi moderato põdere pensitandũ est, vtrum aliquod tam grande scelus committi potuit, quod tanta pœnitentiæ signa euincere atque diluere nequeant. Quicquid tibi euênit, hoc certè beneficio multò minus est, quo tibi omnia restituuntur, quæ præcipiti secessione ac tumultu tibi vel acerbissimè erepta conqueri queas. In hoc momento Prouinciæ, meæq; caussæ & tuæ fortunæ cardo vertitur, nec in posterum ea copia fortassis fiet, quæ nunc vltrò offertur. Itaq;, quæ vel iniquiùs vel inhumaniùs errore quodã admissa sunt, perlibens candore Christiano obliuione delebis, mihiq; amissæ gratiæ locũ reddes, fortunæq; benigni-

benignitatem auidè ante omnia apprehẽdes, quæ hanc ipsam ad veterem veniendi statum, mihi tecum in gratiam redeundi, publicæq; dissensionis tollendæ occasionem, nõ tam honestam, quàm necessariam nomini nostro expeditè demonstrat, nunquam in posterum, si iam cunctaris & negligas, habiturus eandem. Quod si facis, hanc ego cum cura præfecturam mihi abrogo antiquoque, tibi hanc classem trado, & in tuam potestatem fideliter redeo. Vela, quãquam tristitia oppressum animum paululum ad ea attolleret, tamen veteris seueritatis non immemor contracta sedebat fonte, gratijsq; Aluaro actis in sua auspicia classem militesque recipit, atque ita Trugillum peruenit. At Ephori, quanquam plurimi de Aluaro non fœliciter existimarent, ad Consaluum scribunt, qui tũ ad Sausanos peruenerat, vt exercitum dimitteret, aut si omnino Regium venire destinasset, non illi aditu interdici, modo hostilis iræ speciem deponeret, &, vt amicum atque hospitem deceat, cum honesto quidem equitum comitatu veniret, non cum isthac militari turba, quæ haud dubiè ipsius Ducis animũ præ-

Vela libertati & imperio restituitur ab Aluaro.

ferat, quando super hæc, licet is pacatã etiam mentẽ gestaret, militaris insolentiæ audacia, sæpe vel ad Ducũ minas effrænis, Rempub. plebe atrocissimis dissidijs exagitata, interturbare cõsuescat. Nã id omne irarũ armorumq; fomentũ, quod illi vel non iniquã belli faciundi causſam dedisset, esse extinctum, dilatam decretorum exequutionẽ, seueritatem immitissimi Proregis, inexorabili rigore inhorrescentem, explosam, ipsum quibusque metuendum, & illius imprimis nomini odiosum, quo vix maius quippiã votis optare posset, captũ & procul ad summi iudicij tribunal in Hispaniam amandatũ. His literis ad Consaluũ proficiscebantur Agustinus Sarates, Antoniusq; Riuerius, ore, quæ superessent, peracturi, & publicæ etiam fidei schedulas, vt certissima credulitate timidum ac diffidentem obstringerent, exhibituri: At milites Ducesque Consaluiani, qui perceptis his rumoribus triumphantes alacriter spes mentesq; ad opulentissimam vrbem deprædandam intenderant, vbi de literis Legatisq; Ephororum cognouerunt, omnino id impediendum putabant, ne tantæ rei facultas

Augustinus Sarates & Antonius Riuerius legati ad Cõsaluum mittũtur.

Consaluiani Legatos auertere ab castris studeut.

tas deperiret, et importunæ sibi pactionis interceßione belli ſuſcepti, ſumptus impenſi, & continuatæ hactenus profectionis veluti iuſto ſalario ac mercede exciderent. Propterea ad intercipiendos Legatos cum triginta equitibus Hieronymus Villega in id iter extruditur, quo venire credebantur: nec is opinione fruſtratus, deprehẽdit vtrunq; & Riueriũ tranſire paſſus Saratẽ captũ Pariaxacam duxit, ſpoliatiſq; & abreptis, quas afferebat, ſchedulis omni terroris genere territatum ſacramento adegit, ne eorũ, quæ in mandatis haberet, corã Conſaluo Ducibusq; verbum inferret. Decẽ poſt dies cum eodẽ aduenißet Conſaluus, in cubiculum ab illo accitus ſecretò Sarates vera illi mandata expoſuit, poſtea in cœtum Ducum admiſſus, iuſſusq; ab Pizarro eadem exponere, quæ ſibi remotis arbitris aperuiſſet, Sarates intelligens conſilium alias cauſſas adduxit, nempe, quum ceſsiſſet Vela, valuiſſentq; differendorum decretorum poſtulata Ephoros petere, vt inſumpta Velæ impẽdia Maieſtati perſoluerẽt, deinde vt, quicũq; nõ inanibus ad Proregẽ iuuandũ cauſsis permoti Cuſcone Regiũ

Sarates Legatus capitur.

profu-

profugiſſent, liberaliter ignoſcere, & cum ijs Reipub. cauſſa in gratiam redire peccato condonato non grauarentur. Ad ea nihil aliud reſpondêre, quàm ad Ephoros ipſum referre iuberent, honeſtè & communi vniuerſæ Reipub. ſummo bono facturos, ſi ad Conſaluum, inſigni hominum fauore omnibusque heroicarum virtutum ornamentis præditum, & tantæ nobilitatis bellicæque ſcientiæ ſplendore eximium, egregia etiã moderatiſſimi peritiſſimiq; Ducis fama florentem, & publico etiam conſenſu imperio dignum, ſummæ Præfecturæ dignitatem liberali ſuffragiorũ concordia referrent, ac tum cuncta & ad noxiorum gratiam, & ad totius Prouinciæ tranquillitatem prolixiſſimæ pietatis gratitudinisq; omnibus beneficia, ipſis verò priuata æternorum honorum obſequijq; & amoris commoda eſſe expectanda, quod ſi autem contumaciter & ſuperbè ſuo ad moderandam Rempub. & componendum Prouinciæ ſtatum arbitratu vti, & poteſtate frui vellent, pro tantis bonis commodisq; incendiorum, cædium & ipſius vrbis direptionis cladẽ breui habituros. Hæc vbi in vr-

Conſaluianorum poſtulata & mens.

in vrbem Sarates retulit, quanquam id se facturum multum diuq; recusasset, tum, veluti æquum erat, manifestata Consalui imperio peruersissima cogitatione anhelantis nequitia, qui nihil se quicquã aliud flagitare ad id vsq; tempus fuerat per Legatos literasq; professus, quàm vt Vela faceſſeret, decretorumq; èxecutio prorogaretur, Ephoros ingens terror corripuit, quum eo iam se coniectos viderent, vnde, quodcunque instituerent, sine magno vitæ & existimationis discrimine explicare se non possent. Nam si demandatæ authoritatis ius vsurpare, nec quicquam præter concessam potestatem audere vellent, è vestigio eius consilij pœnitendum apparebat tam propinquo hoste, & omnibus metu magis & secundæ fortunæ adulatione quadam, quàm vero & syncero fauore in ipsius postulata supinè proclinatis, qui celerrimè ad id, quod sponte nollent, se per vim inuitos cogere possent. Proinde, vti in summi momenti re fit, habetur omnium senatus, qui honorabilis personæ imaginẽ præferrent, dicuntur & audiuntur diferentes sententiæ, ipse etiã Legatos ad concilium

Ephororũ metus.

cilium Consaluus præmiserat, vt nutantes partium animos spe, promissis, ac metu concuterent. His multis rationibus adductis postulationis Consalui disertè causſas exponebant, aiebantq; nõ ad iniuriã aut periculum cõstitutæ iurisdictionis hoc fieri, sed eò duntaxat, vt clarum æquitatis Pizarri iniuriæq; Velæ testimonium exhiberetur. Dũ sententiarum dissidio, & Ephororum imprimis dubitatione cõsultatio trahitur, ad vrbem Cõsaluus peruenit, castrisq; & tormẽtis dispositis ipsius iussu sequẽte nocte Caruaial triginta cõprehendit, qui partim antea Custone effugerant, partim in suspicione accusationeq; adiuti Velæ versabãtur, inter quos erant, qui primum secessione sua Consaluianis tumultum iniecerant, Garcilascus Vega, Gabriel Roas, Petrus Barcus, Ioannes Saiauedra, Martinus Florentius, Petrusq; Mangiarus, & præter hos Melchior Verdugius, Licentiatus Caruaial Ilani Suuaretij ab Vela interfecti frater, Alphonsus Caresius, & Antonius Ruitius Queuara. Hos Caruaial in publicum carcerem contrusit, depositoque Prætore sibi custodiarum clau-

Consaluus ad Reginã vrbem venit.

Triginta præcipui nominus viri ab Caruaiale capti.

ues

ues assumpsit, frustra doletibus Ephoris, & ne verbum quidē mutire audentibus, quanquam in ipsis oculis id perpetratū viderent. Postridiè, quum sententias aliquanto magis lentescere videret Consaluus, quàm suæ cupiditatis æstus ferret, & ipsa fauentium studia postularent, ad vrbem ex Ducibus quosdam mittit, qui Ephoros admonerēt, vt demandatæ Præfecturæ tabulas illicò maturarent, alioqui intra horas duas fatalis pigritiæ ac cunctationis moram publico priuatoque supplicio egregiè luituros. Ipse autem Caruaial, planè abominabili crudelitate insatiabilis, Barbaraque impietate truculentus, ad augendum terribili exemplo pauorem confestim ex captiuis Petro Barco, Martino Florentio, & Ioāni Saiauedræ ad arborē propè vrbē gulam frangi iussit, morientibus etiā indignissima insultatione conuicia impingens, & supra alios Barco etiam conuitiosissimo scommate illudens, quod is primæ regionis explorationi non minimi nominis Dux interfuisset, atque idcirco eò opulentiæ ac dignitatis euectus esset, vt ei altitudine parem vniuersa regio mox non habitu-

Caruaialis absurda immanitas.

Nescia mēs hominū fati sortisq; futuræ. Et seruare modum rebus sublata secundis.

habitura esset, se quoque hanc ipsi nunc honoris caussa prærogatiuam concedere, vt sibi optionem rami desumat, cui affigi mallet. Tum hercule, quum simili ratione extemplo, nulla interposita mora, cum reliquis captiuis acturum se, militemq; præterea ad cædem ac prædam omniũ se immissurum Caruaial minaretur, si diuturniores deliberationum moras nectterent, ea res Ephoros, supremo stupore ictos, ad ineũda suffragia compulit, certatimq; cùm iam nemo cõtra hiscere auderet, confectæ sunt tabulæ cõditionesq; perscriptæ. Pizarrus, quod bonum faustumq; esset, Prouinciæ Præfecturam obiret tantisper, dum secus ab Cæsare cõstitueretur, Ephororum authoritatem, sicuti impræsentiarum esset, imminutam inteueratamq; relinqueret, & perenni ipsorum cõsilio vteretur atq; authoritati pareret, tãtopere etiam, vt si quãdo illi iure adducti magistratum abrogarent, vel ab Cæsare alter in Præfecturã mitteretur, haud inuitè sua dignitate abiret. Tabulis in castra perlatis, cõfestim Consaluus instructis ordinibus regio more in vrbẽ progressus est. Primã aciẽ prai-

Consaluus per vim metumq; summam præfecturam exprimit.

Magnificus Consalui in vrbẽ introitus.

præibant sex indigenarum, tormenta humeris succollatis baiulantium, millia, quibus triginta Sclopettarij præsidij causſa adiuncti erant. Hos ducentis peditibus Didacus Gomiellus, illum centum quinquaginta numero Queuarani, hos ducentis Sclopettarijs Cermeniani sequebantur. Post eam turbam ipse equitabat Consaluus equum, veluti seruis præcedentibus harum acierum præfectis, Baxicouo, Queuara, atque Cermenio, ipse lorica indutus aurea intrabea egregiè & procero corpore, & habitu conspicuus erat. Totidem equitum Duces, vexillis ventilantibus spectabiles, sequebātur. Inter hos medius erat Petrus Purtocarrerius regium signum gestans, superior equitabat signo Cusconico Antonius Altamiranus, inferior signo Pizarrinæ familiæ Petrus Pulletius. Hinc omnis equitum cataphracta multitudo, agmen claudebat. Eo ordine ac pompa vrbem inuectus ad ædes Saratis quamprimum se contulit, atque inde, accepto Ephororum sacramento, in curiam, vbi Senatorum honoratorumq; virorum cœtus venientem admirabili humanitate excœpit: sta-

tiúq; inde in regiam faceſſens, ac milites ciuium ſumptu ali iubens, paucos poſt dies diuerſas in vrbes, Cuſconem Alphonſum Torum: Arecupiam Petrum Fauentium: Argyropolim Franciſcum Almendram: dimiſit, ipſe Regij rem bellicam, iuriſdictione omni penes Ephoros relicta, aduerſus imminentes caſus ſedulò curabat, quod iam non incerta fama allatum eſſet, aliquid clandeſtini fœderis amicitiæq; Aluarum cum Prorege contraxiſſe. Hæc ſub Calend. Nouemb. geſta ſunt anno noſtri ſeculi quadrageſimo quarto: quadraginta poſt dies, à quibus Vela ab Ephoris captus fuerat. Is tum Aluaro (vti dictum eſt) conciliatus, & ſummo inexpecta ti caſus beneficio ſuæ poteſtati reſtitutus, Trugillo Tumbæum peruenerat, quò ad illum breui confluxêre illi, quos coniurationis ad captum Velam inſula eripiendum facta cauſſa ab Ephoris fuiſſe proſcriptos diximus. Vela tum, cunctis perceptis rebus, quæ Regij geſtæ erant, Tumbæo literas ad vrbes Præfectoſq; mittere, iniuriaq; Conſalui explicata & ſuæ captiuitatis euentu expoſito, Quitoni, Michaëliæ vicinisq; vrbibus & locorum

Vela Tumbæum venit.

corum Præsidibus pecuniam, viros armaque imperare cœpit. Neq; vsquam ferè piorũ hominum volũtates illi defuêre, qui Proregem Cæsareum Ducem contra proditores Tyrannos omni virium suarum adiumento defendere, imperijq; amissi fortunæ incolumem & conseruatum reddere, honestũ & præclarum sibi ducebant. Pizarrus, cui hæc diu secreta esse non poterant, Consaluo Diæ, (quem callidè ab Vela desciuisse ostendimus) Hieronymoq; Villegæ (quem Legatum Saratem cœpisse dictum est) perscripsit, vt cohortes, quas possent ex vicinis locis corraderent, ne qui ad Velam effugere possent, & ipsi, si quid ille moliri attentaret, ad prohibendum êxpeditas vires haberent. At Regij Consaluũ longè altera in imis medullis cura angebat, quũ profunda sollicitudine ea, quæ facta essent, grauissimis cogitationum ponderibus examinans plurimum vereretur, ne, publicis thesauris Cuscone spoliatis, expulso Prorege, inuaso imperio, apud Cæsarem in capitalis periculi culpam vocaretur. Plurimi authores erant, vt Consalui Prouinciæq; nomine legatio ad Cæsarem institueretur, quæ rei ge-

Consalui metus clãdestinus.

ſtæ ſeriem enarraret, ipſiusq; voluntatem referret. At Caruaiali Baxiocouoq; potius videbatur per literas cauſſam perſcribi, cur theſauri ad eum ex iure redeuntes tranſmiſſi nō eſſent, ac tum vnà explicandū Prouinciæ ſtatum, de quo conſtaret plurima Velam perſcripſiſſe, cuius potiorem fidem apud Cæſarem fore nulli dubium erat. Ab longa conſultatione ſtatutum eſt tandem, vt Tiada Ephororum nomine vnà cum Franciſco Maldonato Pizarri cauſſam acturo, ad Cæſarem Velæ fortunam, cæteramq; rem geſtam expoſiturus ablegaretur. Nā hoc modo duo conſequebatur Conſaluus, quum & Cæſarem per Legatum miſſum pertentandi facultatem haberet, & abeunte Tiada Ephororum iuriſdictionem, quam occulto conatu perdere cupiebat, interrumpi neceſſe eſſet. Tiada ſex millibus aureorum contentus, profectionem cùm adornaret, iubetur Ferdinādus Baxicouus tormenta aliquot, militesq; ſexaginta ei nauiimponere, in qua captiuus adhuc Vatianus detinebatur. Parata ad rem diligenter cùm eſſent omnia, & ipſe Tiada aduenire putaret, infinitis precibus pollicationibusq;

Tiada in Hiſpaniā deſtinatur

nibusq; Vacianus per Garziã Montalphum, sibi cognatione propinquum, ad voluntatem nautas pertraxerat, effeceratq;, vt sibi nauem permitterent, atque ita protinus illuso Baxicouo in altum se abripuit. Ea res noui tumultus, & noui discriminis causſam plærisque præbuit, quum Conſaluus, ad omnem vel tenuiſsimæ rei auram erga omnes ſuſpicax & maleuolus, indigniſsimè ferret eo caſu profectionem impeditam eſſe, & certiſsimè opinaretur Vacianum clandeſtina quorundam ope ad eam rem adiutum fuiſſe. Idcirco non in eos modo, qui Cuſcone profugi merito ſuſpicioni ex vetere ſimultate obnoxij eſſe poterant, ſed in hos inſuper, qui ſe manifeſtè Conſaluo non applicarant, deriuata ſuſpicione quamplurimi comprehẽſi, in carceresq; abrepti ſunt. Ipſi Benito Caruaiali, qui inter captiuos facilè princeps erat, Caruaial ſtatim renunciat, quam primum condere teſtamentum, & ſolenni more ad extremam ſeſe horam præpararet: quod cum ille haud grauatè feciſſet, eo tandem adductus eſt, vt præſente carnifice, & laqueum parante, omnes ſtupore icti, hominis deſperatam ſa

Vacianum fugit.

Benitus Caruaial in ipſo mortis articulo.

lutem putarent, quum incredibile omnino, et nulla opinione præcipiendum videretur fore, vt tantæ maiestatis homo, postquam ad supremum subeundæ mortis articulum reductus, & ad scalas perductus esset, ad tõgèmaximum totius vitæ probrum infamiamque, nulla factorum præstantia expiabilem, conseruaretur. Alij, si tantæ dignitatis authoritatisq; splendor eum virum ab crudelitate non vindicaret, idem mortis suppliciũ, quod miserabile foret, ad cæteros cuiuscunque nominis rationísue captiuos delapsurum iudicantes, incerta expectatione suspẽsi tacitè rei exitum præstolabantur. Dum loquitur, dum circumspicit, Benitus, dũ carnifex laqueum instruit, inter eã morã viri spectata probitate Consaluũ adeunt, rogantq;, vt veterem hominis dignitatem ob oculos ponat, secumq; accuratius, qua apud populum authoritate polleret, ratiocinetur, & fidem insuper diligenter expendat, constantissimè inde ab eo tempore ipsi semper ab illo exhibitam, ex quo Vela fratrem eius Ilanum hac de caussa crudeliter trucidatum sustulisset. Proinde ab omni ratione auersum videri, & ipsius imprimis

mis existimationi maximæ fraudi procul dubio futurum, si vsq; adeo inclyti nominis, & tanta virtutis opinione apud quemlibet commendatum virum, immanis atque Principibus abominabilis supplicij genere tolleret, cuius præsertim integram syncerámque adhuc fidem, nec vllius suci labe inquinatã, hactenus esset expertus, & in quo talem verisimile appareret perpetuò remansuram, quem acerbissima charissimi fratris cædes sumendæ vindictæ in Velam iratissima cupiditate inflammaret. Satis verò liquidũ esse, quod Vacianus surrepta naue profugisset: nullam aut Beniti aut reliquorum culpam interesse, sed diffidentis suspicionis inuidia fidem conuelli, & in dubium arcessi, atq; hoc sycophanta traductos præter meritum ad cruciatus, aut ad capitum discrimina deuocari. His verbis incandescens Consaluus tanta animi ac vultus amaritudine in omnes exarsit, vt neminẽ aut ipse affari, aut loquentẽ pati vellet. Tandẽ, qui sanguine Benito proximi erãt, in manus bracteã aureã, quæ mille aureorum precium superabat, & magna insuper auri summa promissa, Carua

Caruaial auro vincitur.

iali intrusêre, quo munere promissoq; facilè victus, ad Consaluum accessit, & ferocientis iram detergens, vitam Benito ac reliquis impetrauit. Nec multò post, quod in portum Arecupiã nauigiũ appulisset, omnia ad decretam nauigationem iterum parari cœpta sunt, duobusque adiectis, & per has tormentis dispositis, quæ Cuscone Consaluus adduxerat, Baxicouus cum Tiada & Francisco Maldonato discessit, legensque placida nauigatione littus, cum Tumbæi Velam agere percepisset, in portum inuectus est, statimq; clamore ad arma circumfuso, Velaratus subsequi secundum oram Consaluum, rapidissimè sese cum suis vrbe eiecit,

Vela Quitonem fugit.

Quitonemq; profugit. Ita Baxicouus, tutò commeatum, militesq; aliquot exportans, ad Veterem portũ diuertit, vnde Panamaidem nauigauit. Dum in itinere ad Parolenias insulas hærẽs modica quiete se reficit, Panamaitæ aduentum eius sentientes misêre ad eum ciues duos, qui voluntatem eius, aduentusq; causſam exquirerent, &, ne intra suæ ditionis terminos cum armatis veniret, denunciarẽt: quibus respõdit Baxicouus, quod milita-

militarem secum turbam adduceret, nõ damni ipsorum cuiquam inferendi, at suæ confirmationis defensionisq; aduersus Velanos gratia fieri, & se ad exponẽdos duntaxat Prouinciæ Legatos, in Hispaniam ad Cæsarem profecturos, venire, è vestigiò abscessurum, vbi de necessariarum rerũ copia classi prospexisset. His verbis Panamaitæ fidem habentes, portus vrbis & rerum suarũ copiam liberaliter fecêre: at Baxicouus, vti vel ipso Caruaiale & inhumanior erat, subdolæ mentis fraudem statim euomuit. Nam, quum in vrbano sinu nauigia duo erectis iã velis nauigationem pararent, insequutus vtramque vbi alteram cœpit, magistrũ ad Antennam laqueo suffixit, & in vrbem mox metu admissus, quum paulò antè Ioannes Gusmannus, Velæ Præfectus milites per Isthmũ conscribens, fuga cessisset, in insontes ciues quicunque pro votis & appetitu possessionibus ac fortunis deijciens, & easdẽ sibi vendicans, omnia miserandæ calamitatis, teterrimæque nequitiæ exempla edidit, suis etiam trux & formidabilis, quum duos Principes, consilij de ipso interficiendo agitati conuictos, interfecisset.

Baxicouii crudelitas in Panamaitas.

feciſſet. Super hæc tormenta nauemq; ſibi aſſumpſit, qua paulò antè fuerat aduectus Vacianus, qui, intellecto Baxicoui aduentu, Theonymam profugit, atque inde naue conſcẽſa, vt in Hiſpaniam traijceret, ſe in Oceanum dedit. Theonymam ſub idem ferè tẽpus venêre. Didacus Cutus, quem ſimiliter ad ſuam cauſſam agendam ad Cæſarem Vela legarat, & Conſaluiani oratores Tiada atq; Franciſcus Maldonatus, mortuoq; in itinere Tiada, reliqui fœliciter omnes in Hiſpaniam ſalui traiecerunt, ſtatimq; nulla mora Cutus & Maldonatus veredarijs equis, vt ſuas quiſq; partes ageret, ad Cæſarem in Germaniam celerrimè contenderunt. Vacianus autem, cũ dudum circa vnam Azoream inſulam hæſiſſet, tandem Vliſiponem Luſitaniæ vrbem peruenit, vbi, cum Hiſpalim metu propinquorum & familiarium Ioannis Telli (quem ab illo, victoria aduerſus iunioren Almagrum parta, ſuiſſe iugulatum diximus) ſe non auderet conferre, indicta lite comprehenſus amplius quinquennium in variarum vrbium cuſtodijs miſer, & ea ſorte indignus, obtorpuit, & vix demum iudicio abſolu-

Vacianus in Hiſpaniam nauigat.

Tiada Hiſpanico in itinere moritur.

Vacianus Vliſiponẽ appellit, & malo caſu excipitur.

absoluta lite libertatem impetrauit. Dum hæc geruntur, Vela Tũbæo fugiens vt Quitonem venit, propensissimas in se hominũ voluntates offendit, summáq; promptitudine & humanitate exceptus, permagnam in tanto incolarum fauore vires parandi copiam nactus est, contractisq; iam circiter viris ducentis, quum regionem rerum abundantia & fertilitate armatis sustinendis egregiè parem animaduerteret, cum parato præsidio isthic permanere, & se aduersus Consaluum præmunire ac tueri cõstituit tantisper, dum certius per Cutum de Cæsaris voluntate cognosceret. Idcirco, vijs passim obsessis, intẽtè affluentes de Consaluo rumores obseruabat, & quicquid Regij gereretur, sedulò explorabat, qua in cura duo milites illi superuenêre Regio profugi, qui, declarata Consalui tyrannide, quam varijs modis diuersoque oppressu vnicuiq;, vt lubitum esset, grauissimorum onerum, & propè abiectissimæ seruitutis intolerabiles sarcinas imponens in innoxium Reginæ vrbis populum truculenter in dies exerceret, confirmabant omnes tanto inexpectatæ insuetæq; calamitatis pondere

fathis-

fathiscentes ad euitandam crudelissimi hominis sæuitiem auidis animis ad ipsum continuo defecturos, simul atq; in conspectum omnium hominum, votis ac spe diu exoptatum imploratumq; venisset, aut illum quemcunq; procul dubio sequuturos, qui Maiestatis nomine bellum intendere, & ad Tyrannorum insolentiam castigandam, populumq; terribili dominatu liberandum, sese audaci indole efferre atque eleuare non dubitaret. His rationibus Vela repentè in nouam coniectus spem, destinati consilij decretum commutat, & Michaëliam, centum quinquaginta passuum millibus ab Quitone distantem, profectus est, eo consilio, vt ea in vrbe, quæ ad bellum trahendum commodissima videbatur, quod Quitone prius facere decreuerat, Cutum cum Cæsaris mandatis expectaret, & quicunq; in Peruuiam venirent sibi interceptos adiũgeret, magnisq; tum viribus ingens in Pizarrum bellum pararet. Venientem plæraque ciuium pars honorificè in vrbem recepit, nec ferè quisquam fuit, qui non liberaliter omnem suam opem auxiliumque viris, tormentis, equis pecunijsq; parandis

Vela Quitone Michaëliam vertit.

expe-

expetenti conferret, singulari autem fide adiutus est Didaci Ocampi ab eo tempore, quo primum Tumbæum peruenit, quod vt beneficium pari gratia compẽsaret, illi summæ militaris præfecturæ dignitatem attribuit. Neque verò Aluarus Ephorus ab eo conciliationis initio degenerem vnquam fidem Velæ præstitit, qui peculiaris vnius sigilli vi ac potestate, quod eũ in casum Prorogi antea donatum fuerat, vt si ipse cum vno atque altero Ephororum duntaxat prius in Prouinciam perueniret, aut Ephorum aliquis morte intercideret, eo ad faciunda mandata, caussasq; expediundas vteretur, suæ iurisdictionis vsurpationẽ cum Vela continuabat, isthoc Cæsaris titulo nomineq; mandatorum caussarumq; schedulas obsignans, ita vt admirabili confusione, & pudendo exemplo duobus in Prouinciæ locis Regij senatus authoritas, & apud Velam, & Regij apud Consaluum tabulis conficiendis signandisq; vsurparetur, & in eadẽ caussa, quod omnium erat deterrimum, frequenter diuersum iudicium mandatumque & sibi mutuo aduersum constitueretur.

Priuſ-

Priusquam Vela Michaëliam perueniret, audito eius aduẽtu Consaluus Dias, & Hieronymus Villega Consaluiani Duces, qui circa ea loca Michaëliæq; imprimis Cõsalui iussu milites conscribebant, vrbe profugiẽtes ad Colliquios, quadraginta passuũ millibus ab Michaëlia sitos, peruenerunt. Hi audientes non procul versari Ioannẽ Peririum, quem paulò antè ad milites adducendos Vela in Cichapoiades miserat, rati non multum hominem de suo aduentu cogitare, improuiso adorti sunt, Peririoq; truncato, milites metu mortis deterritos suas ad partes traduxêre, sed parum memores, quid sibi itidem accidere fortuitò posset, in Colliquios vt sunt regressi, ab ea victoria securi, & eadem Peririj oscitatione imbuti, nihil ab hoste verentes sedebant. Vela, hac re percepta ratus cædem Peririj vindicandi occasione vtendum, & amissorum militum detrimentum sarcire cupiens cum centum quinquaginta equitibus, quam potuit, occultissimè Michaëlia egressus est, celerrimeq; profectum spes non fefellit. Nam quum famam sui aduentus anticipasset, vbi in conspectum venit, omnia

Ioannes Peririus per insidias oppressus.

Consaluianorũ fuga.

repentè

repetè tumultus, timoris, ac fugæ plena fuerunt, ita vt, ipsis Ducibus pauidè in diuersas partes ruentibus, Dias à Barbaris alibi fuerit trucidatus, Villega vix per longos errores Trugillum redierit. At Consaluus, qui celeriter ea de re edoctus fuerat, partim eius ignominiæ dolore nonnihil permotus, partim maturo remedio anteuertendum existimans, ne quotidiana militum auctione, qui vel è Terra firma, vel è mediterraneo veniebant, copiarum & armorum vires vigilantissimo hosti magis magisq; in dies accrescerent, occulto etiam metu stimulatus, ne, quum tantus in Velam implacabili seueritate omnibus antea ferè inuisum fauor hominum studiumq; resurgeret, literæ ab Cæsare pro ipso aduersus se perlatæ essent, bellum resuscitare, obuiam proficisci, reflorescẽti cursum infringere, &, si aduersum prodire auderet, prælio rem vniuersam committere decreuit. Quapropter, stipendijs persolutis, maximam militum equorumq; partem cũ impedimentis duobus nauigijs Trugillum præmittit, quorum vnum Arecupia centum millia aureorum Consaluo aduexerat, alterum ab Ter-

Consaluus Dias interfectus.

ab Terra firma, Martelio Puntio naviculatore, vxorem Pizarri Regium deportarat. His amplius centum quinquaginta milites cum tormentis & magno hastarum armorumq; numero, & plæraq; nobilitatis parte, atque ipso Cepeda Ephoro Trugillū aduecti sunt, vt isthic sequuturum Consaluum expectarent: eaq; ratione callido consilio Pizarrus Ephororum iurisdictionem sustulit, quum Tiada, Aluaro, atq; Cepeda absentibus, Regij solus Sarates relinqueretur, quem, quū quotidiana prope febri tentaretur, non multi faciebat Pizarrus, & ad eum deuinciendum filia fratri ipsius Blasio Soto collocata (quanquam id matrimonium contra Saratis voluntatem fuit contractum) affinitatem cum eo coniunxit, quibus tamen omnibus rebus non multum ad perpetuam Saratis fidem sibi astringēdam æstimatis, vt omnia certiora essent, regiū sigillum quorundam suasu abstulit, Laurētiumq; Aldanum Reginæ vrbi cum octoginta militum præsidio, interea dum ipse abesset, præfecit, quibus cōstitutis mēse Martio quadragesimi quinti anni naue conscensa Trugillum abnauigauit,

Consalui ad iurisdictionē subuertendum conatus.

Consalui cum Sarate affinitas.

Laurētius Aldanus Regio præficitur.

gauit, festoq; palmarum isthic celebrato, in Colliquios profectus est; vbi paucos intra dies varijs accessibus omnes copiæ illum subsistentem sunt consequutæ, acieq; recensa Consaluus amplius sexcentos comperit, quo numero minimè inferior erat Vela, sed longè bellico apparatu, armorum instructione, militumq; veteranorum præstantia excellebat Consaluus, quum Velæ præter tyrones plærique inermes & laceris vestimentis deformes adessent. Consaluus, antè quã ad hostem aggrediundum se accingeret, accuratissimam rationem cõmeatus imprimis instituit, quod Michaëliam in Velam eunti Motupiana (de qua libro primo dictum est) solitudo amplius viginti passuum millibus dilatata obijceretur, ingrediunda itinere expeditis quoque intolerabili. Idcircò, qua copias ducturus esset, præmissi, qui ex vicinis vrbibus vicisq; commeatus ad vescendum in viam deferrent, equi vtribus aut cadis aquarijs onerati, & pro se quisque miles, quod commeatus ferre posset, sibi curare iussus. Hac re curata, equites viginti quinque vulgari solitudinis itinere præmittit, ad suspicionem explo-

Motupiana solitudo.

Consaluus in Velam.

ratoribus Velæ inijciendam eadem via se subsequi, ipse dehinc altero itinere ad Velam subito contendit. Blascus, percepto hostium aduentu, quũ minimè tyrones suos Consaluianis veterani nominis ferè omnibus temerariæ ad pugnæ subeundum discrimen cõmittendos saniore iudicio putaret, militibus vrbe eductis aduersus Consaluum proficisci se simulabat, verùm, cuncti cùm essent egressi, via Quitonica fugam intendere cœpit: quod vbi Pizarrus cognouit, abiecto adeundæ Michaëliæ consilio, nullam sibi moram attulit, quin paribus vestigijs fugientem insequeretur, sed iam quatuor horis prægressum, & celerrima profectione maius semper spacium antecapientem, quanquam cum totis copijs consequi non posset, plurimos tamen nõ eadem celeritate primis instantes ex Velanis cœpit, & hac insequẽdi cõtinuatione id profecit, vt quum molestiores magis magisque montium valliũq; fugientes viæ exciperent, nauseabundi plærique aut incederẽt, aut Velam vel transfugio vel aberratione deserẽt. Non pauci etiã inter præcipui nominis viros Ducesq; promissis et veniæ impetrãdæ spe ab

Vela Consaluum fugit.

Consaluus Velam insequitur.

spe ab Consaluo incitati, secretis literis Velæ interficiendi fidem Pizarro dederant: quibus rebus confisus Consaluus, desperansque se fugientem assequi posse, & suis etiam parcere nonnihil fatigatione exhaustis volens, omisso Vela Quitonem ad quietem se recepit, atque ita ducta primũ ratione ab eo itinere, quo primum è Charcantibus euocatus Cusconem bellum inchoaturus peruenit, amplius mille leucarum spacium ad Velam insequendum proficiscendo absumpsit. Hic vbi aliquot dierum quiete milites refeciſſet, ad Pastum Quitonici agri oppidum ire perrexit, vbi Velam resedisse perceperat, sed is ad primum Consalui venientis nuncium properè discedens, atque inde per deserta procul fugiens, nobilem ad vrbem Popæanam peruenit. Tum demum Consaluus non tam sua cupiditate, quàm immensi itineris tædio, militumq; suorum miseratione fatigatus, quod vastæ passim montium syluarumq; solitudines occurrerent insequentibus peruadendæ, Quitonem reuersus est, ac se suosque meritæ quieti dedidit. Sed vti ferè bellicis curis occupatis ex communi contagio accidere solet,

Vela Popæanam fugit.

Consaluus Quitonem peruenit.

vt, postquam his inopinata quies ab diuturno variorum laborum exercitio repentè contigerit, animos ad ocium deflexos, & desidia mollescentes omnium repentè voluptatum, scelerumq; confinium lenociniis atque dulcedini adaperiant, magna certè commutatio Consaluum inuertit. Nam quum ante imperium priuata in vita satis commodos mores amabili ingenio præstitisset, nũc imperio, potestate, & fortuna imprimis ad voluptatem fluente, factus insolens superbiaq; proteruus, vix se capere poterat, iamq; palam insurgere, Ephororum authoritati illudere, munia ipsorum, senatus, Legum in se trahere, & eo demũ pectoris effrænati tumore raptari, vt neminem moraretur, hostibusq; longè semotis & ferocissimis quibusq; metu ad tempus domitis, nullum vniuersa in regione putaret, qui obmutire sibi, aduersari atque in se efferri auderet, apertaq; iam futuræ rebellionis signa præferret, si abs Cæsare pro Vela pronunciaretur: sed ô facilem hominum spem (vt ille dixit) fragilemq; fortunam, & inanes nostras contẽtiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt, & antè in ipso

Consalui ex fortuna insolentia.

ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere potuerint. Nec in ea insania deerant subdolæ aliorũ incitationes, maioribus flammis sponte ardentem accendentes, qui, velut seruitio ac voluntate promptiores, callida assentatione affluentiorem opum, honorum ac gratiæ copiam aucupabantur. Hæc animi viciorum labes facilè ad externa etiam scelera contagiosa herpête proserpsit, & vt mens fastidij, arrogantiæ, crudelitatis ac iræ plena erat, ita subitò corpus in voluptuarias oblectationes profusum stupris, luxuria, ebrietate turpissime diffluebat: tum epulæ sumptuosissimis tragematum apparatibus agitari cœptæ, tũ sambucinæ & id psaltriarum ludionumq; genus mensis admotæ, tum ad libidines efficacissimo conspectus irritamento acuendas cerussatæ calamistratæque meretriculæ conuiuijs adhibitæ, & quod maximè infami probro Pizarri nomen onerauit, ipse tanto impietatis ausu fœdis amoribus deseruijt, vt gratioris formæ ex suis vnius ancillæ, quò illa honestiùs frui posset, præmijs ad id patrandum facinus Vincentio Paulo viro Hungaro (qui postea Vallisoleti

Consului pudendum facinus.

in crucem actus fuit) turpiter incitato maritum trucidaret. Huic turpitudini immersum subito nouum bellum Consaluum distendit. Principio huius motus, quum ad publicam caussam in Concilio agendam Pizarrus Cuscone Imperator dictus esset, Argyropolitani, quanquam concessisset Legatus ipsorum Didacus Centenus, in id tamen vt consentirentur vel summa Cusconicæ ciuitatis obsecratione, & maximo in decretis diuulgandis exequendisq; detrimento omniũ proposito adduci non potuerant, Consaluoq; exploso, Proregem, sicuti dictum est, acceptarant, & armati ad iuuandum illum Regium iter intenderant: verùm in itinere cognito Velæ casu seram & inanem opem suam capto esse conspicati, domum reuersi erãt. Ob id factum Consaluus iamdiu ira in illos altè concepta, vbi Regium peruenisset, donata Præfectura ad vrbem occupãdam, sicuti meminimus, Franciscum Almẽdram miserat, virum non tam militia quam simili tyrannide acrem, et ad puniendos, quos vellet, crudelitate vehementem, atque huic inter cætera vnam vlciscendæ imprimis eius confidentiæ curam com-

Argyropolitani se Consaluo opponunt.

Franciscus Almẽdras Argyropoli ab Consaluo præficitur.

commendarat. Is vel summæ inhumanitatis mandata non perlibenter modo expleuit, sed præter alia iniuriarum genera miseris ciuibus accumulata, Gometium insuper Lunam virum vniuersæ ciuitati charissimum, quòd dixisset fieri hercule nõ posse, quin adhuc aliquando Tyrannis expulsis suum imperium Cæsar obtineret, abstractum carceri publico inclusit. Nec tantæ vilitatis contumelia affecto ciui optimorum quorumq; deprecationes apud Almendram deerant, rogantium, vt matura contumelia virum optimum liberaret, aut honestiori custodiæ imponeret: verũ Almendras præfractissimo ore obtestationes respuit, quumq; ex turba ferocior vnus minaretur, si dimittere recusaret, per se vel ipso inuito exemptum iri, indignatus Almendras in carcere hominem concubia nocte strangulauit, mediaq; demum luce in forum aduecto cunctis spectantibus caput præcîdit. Eo spectaculo Argyropolitani (id enim supra omnium iniuriarum damnorumq; inflictorum acerbitatem longè miserrimam iudicabant) in merã id ciuitatis contumeliam factum videntes, tantò furore

Gometius Luna ob dictum ab Almendra captus.

Almendræ inhumanitas sibi funesta.

atq; vindicãdi animo sunt stimulati, vt nisi ipsius pari cæde insontissimi viri manibus parentare, suaéq; cupiditati satisfacere destinarent. Nec mora, concitante ante alios ipso Didaco Centeno, principemq; se omnium ac Ducem præbente, secreta cõspiratione in Almendræ cædem fœdus ac societatem ineunt Lupus Mẽdocius, Alphonsus Peresius Esquiuellus, Alphonsus Camargus, Ferdinandus Nonnius Segura, Lupus Mandietius ac Ioannes Hortitius Saratis Ephori frater. Is Didacus Centenus belli initio Consaluianæ causſæ sese acclinarat, quòd decretis impeditis ea pro Reipub. salute facere videretur, ob idq; Argyropolitanæ ciuitatis nomine Cusconem Legatus missus, Consalui imperio assenserat, sed vbi, aperiente se votis Pizarri fortuna, paululum intimi eius conatus atq; sensus patuere, venia impetrata secedens Argyropolim domum remigrarat. Hîc quũ aduersus insidias Almendras militum præsidio corpus munijsset, veluti aliqua de re singulari colloquuturus accessit, statimq; inopinãtem pugione destricto, inflictis rapidè aliquot vulneribus, sauciat, attonitis ipsis mi-

Coniuratio in Almendram.

sis militibus & non multum indolentibus, quod ferè cuncti Consaluianorum (vti in ipso Pizarro clarius postea apparebit) fortunam necessario quodam fauore, non amicitiam amoremue Consalui sequerentur, deserturi quando per occasionem liceret. Tyrannis enim, & insolentia, ab immodico superbæ potestatis fœlicitatisq; fastu petita, nisi fortunæ amicos habet, qua prolapsa nõ modo iacturam eorum facit, sed ijsdem repentè atrociſsimis hostibus circumuenitur, quibus necessaria vafræ amicitiæ ac callidi fauoris simulatione fucatis modò ignara stultaque confidebat. Ergo, deserentibus Almendram vel sponte vel metu suis, cæteri semianimem circumsistunt, in forũq; præcipites rapiunt, ac licet iam sensu ferè expertem eodem capitalis supplicij genere truncatũ manibus Lunæ quodammodo litant. Ita Argyropolitani truculentiſsimi hominis dominatu liberati Consaluianum nomen penitus explodunt, seseq; & in libertatẽ, & in Cæsaris seruitium vindicant, ac confidenter de bello cõsilia ineunt. Rati enim longinquo in Velam apud Quitonẽ bello impediri Consaluum, non omnino

Didaci Cẽteni audax facinus.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila quam tutator amor

Cæditur Almendra.

Argyropolitani primi omniũ in Consaluum insurgunt, & Maiest. nomen tuentur.

nino incommodum tempus esse putabant, iugum excutere, Charcantiam impotenti Pizarri crudelitate atq; iniuria extortã Maiest. restituere potestati, sese vlcisci, & præclarum cæteris vrbibus egregij facinoris audaciáq; ad Tyrannicam vim propulsandam exterminandamque exemplum proponere. Quid enim vel ad gratiam Maiest. deuinciendam vtilius, vel ad tuendum fidei nomen fidissimis ciuibus speciosius esse, omnibus crudeli metu oppressis atque silentibus, se solos capita ac ceruices aduersus superbiam dominatũq; inhumani hominis attollere fuisse ausos, Cæsareáq; Maiest. Imperium pedibus immanissimè obtritum calcatumq;, & communem libertatem tyrãnide obrutam tutatos esse ac sustẽtasse? quod si temerè inceptatum confisumq;, præpotentibus fortunatissimæ belluæ armis prouocatis, in supremi excidij calamitatem cederet, vti minimè arbitrandum, Dijs causſæ æquæ non defuturis, videretur, certè mori in acie dimicando præstare, quã diu isthoc vnius furore se miseros excruciari. Dant ergo fidem eandem omnes promptissimè subituros fortunam, & coniu-

rationis

tionis Principem Centenum creant, statimq; pro facultatibus à singulis ærario aucto delectus habetur. Centenus, vti ab solerte ingenio & mediocri rerum bellicarum exercitio plurimum industriæ scientiæq; generosæ & expeditæ indoli adiunxerat, quicquid ad boni Ducis officium pertineret, ẽxequi festinauit, copias in ordinem præfecturasq; redigit, militibus stipendium persoluit, & vni imprimis curæ inuigilat, vt vijs intercluſis extra Charcãtum fines nihil aliò rerum actarum efferretur: quibus sedulò prospectis ad Arecupiam occupandam Lupum Mendocium misit. Sed inde satis edoctum fuit nullis industriæ, aut intentissimarum curarum vinculis septisue famam coërceri posse, quæ, prius quã hæc satis firmiter Argyropoli instituerentur, totam repentè Prouinciã percursans nouo rumore omnium aures impleuerat. Hac adductus Arecupiæ Præfectus Petrus Fauentius antea profugiens facilè occupandam vrbem Mendocio, & ad arbitrium constituendam reliquit. Is milites, equos, pecuniam ad se quã posset trahens, vbi Argyropolim reuersus est, excreuit virorum numerus

Centenus Argyropolitanorum Dux.

Lupus Mendocius ad Arecupiã occupandã mittitur.

merus

merus ad ducentos, sed erant honesti nominis ciues plærique, & nobilitate insignes, armisq; & cætero omni necessario apparatu egregiè instructi. Stipendio persoluto, Centenus omnes in concionem vocauit, datoq; per præconem silentio in hanc sententiam fatus est. Quæ precatus sum à Dijs immortalibus, ciues & commilitones optimi, eo die, quo virilis animi memores, cæso egregiè Almēdra, ex illo Cōsaluiani dominatus pistrino ad veterem libertatem confidenter ac generosè erupimus, vt ea res auspicato profligādæ Tyrannidis exemplo nobis cunctisque bene atq; fœliciter eueniret, eadem precor ab ijsdē Dijs immortalibus ob partam libertatē vna cum salute obtinendam, nomenq; ac ius Maiestatis tuendum: & postquam ad memorabile iam facinus præclari Tyrannorum vindices accingimur, ac Prouinciæ incolisq; & ipsi Maiestati pacem, tranquillitatem atque otium afferre paramus, vt optatum in hoc pio conatu successum indulgeant, & stabiles vobis mentes ad propositum conceptum conseruent. Iam enim vnumquemq; se in optima caussa versari, cur vltrici manu arma desum-

Centeni ad Argyropolitanos oratio.

desumpserit, atq; id omne dubitationis excutere oportet, quicquid antea ex stulta, aut simplice iuris, publicæ causſæ tuendæ nomine, Consaluo asscripti opinione in animo resedit. Nihil certè inter multa infœlicius mortales decipit, quàm crimini prælata adumbrati iuris species, quæ non impietatem modo ostẽtatæ æquitatis prætextu obuelat, sed etiam, vt haud iniqua mortalium admißione tolerantiaq; perferatur, efficit: verũ huius quondam ad salutem publicam institutæ actionis eum nũc præclara scilicet sorte exitum videtis, vt qui ruentem Rempub. veluti humeris suis sustinere modo videri volebat, eum prima omnium miseriarum fundamenta iecisse sentiatis. Neminem enim opinor vestrum fugit, iam penè per omnem sexum, ætatem Prouinciamq; Consalui Pizarri peruagata crudelitas atque tyrannis: qui primum Regijs decretis per Velam Prorege allatis Cusconem progressus astuto communi causſæ patrocinandi lenocinio, aliarũq; id genus iactationum illecebris, vt in se simul omnes pellexit, & in hac demum re impetranda, nempe vt Cuscone Regiũ ad Concilium

cilium publicam aduersus decreta cauſſam acturus iret, callidus victor euaſit, atque iſthoc ſpecioſi tituli nomine omnium voluntates ſibi procliues fecit, armata manu Cuſcone egreſſus eſt, ſtatimq; in itinere prima ſcelerati conceptus initia detegere cœpit, tot laudata probitate ſpectatoq; genere viros illuſtres eam tantum ob cauſſam immaniſſimè obtruncans, quòd propoſitum inſidioſæ calliditatis inſtitutum ſubodorantes ſtudia ſua ab ipſo ad Proregis cauſſam fideliter abſtraxiſſent: deinde tam probè cum ipſis Ephoris egit, vt friuolorum iurgiorum ludibrio implicitus Prorex contra fidem caperetur, nauigioq; auectus, vt Pizarrus tuto expediteq; fraudem inchoatã perſequi poſſet, procul deportaretur: quod noſter hic præclarus publicæ cauſſæ patronus fœliciter conſequutus, vbi æquatam propoſito perficiũdo viam vidit, non ſecretis amplius machinis aut tardo gradu, ſicuti prius, arrepſit, ſed vi manifeſta per fas nefasq; profanus diuini humaniq; iuris contemptor ad libidinem perficiundam graſſatus eſt. Armatus Regium venit, ſummæ Præfecturæ inaugurationem impe-

rauit,

rauit, Ephoris ius suum atque authoritatem extorsit, quem modum quem finem scelerum fecit? Illi quia ad grauissimam imperationem paululum suspensi cunctarentur, nec modò iuris obliti quidlibet è vestigio infræni ipsius libidini propinarent, per Caruialem tot viros honestos in carceres abripuit, tot infami suspendio contumeliosissimè, veluti latrones furesq; sustulit. Hinc minis, metuq; & vi armata Ephoris codicillos schedulásq; demãdatæ Præfecturæ expressit, non receptus vrbẽ intrauit. Quid nunc post missas huc atque illuc literas, impositamque cunctis approbãdæ agnoscẽdæque gubernationis eius necessitatem ex his, qui vel obsistere ausi essent, vel Cæsareo Proregi eius Præfecturæ vsurpationem tantum relinqui volebãt, tot viros mactatos, tot vel ad supremam leberidem fortunis spoliatos referam? Nullæ dies sanguinis expers, nulla hora furti immunis, quoque momento noua ira furorque ad nouam cædẽ rapinámue struitur. Super hæc, recenter adhuc paratis Regi viribus quàm maximis, nouam insequendo profligandoque Proregi expeditionem intendit, & vt sine

æmulo

æmulo dominari pro lubito queat, vniuersam Prouinciam bellis, cæde, rapinis discordijsque permiscet, ius omne subuertit, &, diremptis distractisque diuersa in loca callidè Ephoris, legitimam iurisdictionem eradens in suo ingenio, arbitratu ac lubito vniuersum legum mundum, si Dijs placet, reposuit. Equidem propè fabulam & fictam rem esse credebam, quod de Siculis Romanisque Tyrannis veterum monumẽta tradidêre, nunc aut eundem hunc, aut certè eorundem dira admiratione zeloque imbutum nostro cũ malo probè sentimus. Ergò si hoc illi libuit, vt Francisci Pizarri fratris, suæque omnino vniuersæ stirpis oblitus, honore postposito omnem Prouinciam quolibet malorum genere lacesseret, nec publica salus, rei ipsius ratio, honestas, Christiana pietas ab tanto scelere deterritum permoueret, stultum est nũc vobis deesse, aut diutius pati, quod ne oculis quidem atq; auribus sustinere potuistis. Summa nunc salutis, & vestræ erga Maiestatem fidei occasio, quæ se præbet, in præcipiti vertitur, quæ si prætermissa effluat, certe & vestris quoque ceruicibus longè maior Tyrannis

rannis increſcet, & proditæ erga Maieſt. fidei infamiam euadere non licebit. Agè confidenter arma cum vindices manus deſumpſerint, quod ad bellum gerẽdum, fines que poſthac tutiſſimè conſeruandos ſupereſt, maturemus, egregiè oſtenſuri impotenti inſoleſcentium ſuperbiæ nec hoſtes vel in ſumma potentia deeſſe, nec vllo vnquam tempore defuturos: maturè facto opus eſt, quod ſi paululum rem anxijs deliberationibus differimus, modò conſilia noſtra detegente fama, in capitibus habebimus hoſtes, & circundatis tunc longè grauior truculentiæ moles incumbet. Nam tum præter exploratas & omnium iam ferè (quod dolet) communes vſitatæ tyrannidis ærumnas, quarum exempla vel in alios edita accepiſtis, vel ipſi propè perpeſſi eſtis, earum etiam acerbitatum cumuli preſſis accedent, quas iræ in rebellantes conceptæ exæſtuans vis, irritatique furoris calor adijciet. Agè exeamus propere omnes, meque Ducem veſtris etiam ſuffragijs nominatum, nec inanem (ſpero) Maieſtatis vindicẽ rectà ad vindicandos Tyrannos tendentem alacres ſequimini, modò aut fœlici aut infœlici exem

plo declaraturi nunquam impotentẽ sui hominem, imperioq; ad popularium detrimentum abutentem impunè victurum: neque deerũt, si simul signa extulerimus, pro aequitate fideque pugnaturis eorum auxilia, qui iamdudum iniquissimi dominatus pertæsi, & initium vsque adeo laudatæ rebellionis secum tacitè expectantes, nostram propensissimis animis mox voluntatem complecten tur, & in eadem haud grauatè se auspicia dabunt, quibus libertas ac in suum Principem fides aduersus Proditores ac sceleratos propugnanda non infaustum sperati exitus omen auguriumq; portendunt. Illi, sublata voce, responderunt, vt fortia consilia ipsoq; digna exequi non dubitaret, se namq; quod postulasset, quocunque (quando vellet) sequuturos ducentem, ac pro libertate ac fide, sicuti incepissent, periculosi belli aleam vel ad vltimos spiritus impauidè subituros. Centenus inde paratos educẽs in Cicutis, qui Charcantum agro proximi sunt, consedit, atque ibi hostem expectare constituit. Hæc fama festinè ad varios Consalui Duces perlata, vt sibi quisque prospiceret, monuit, & omnibus

Centenus Argyropolitanos educit.

nibus propinquiorem imprimis Alphõsum Torum impulit, vt ab montium obsessorum custodia (tum enim certa itinera insidebat, quod Pizarrus scripsisset iter Velam in superiorem montium tractum extendisse) se Cusconem quamprimum conferret, & malo orienti tempestiuo prospectu occurreret. Ad vrbem simulac peruenit, quid de rebus apud Charcantes actis Didaciq; Centeni perfidia, ac rebellione certissimè cognitũ habeat Principibus aduocatis proponit, & quum Cusconicae vrbis opulentia frequentiaq; eam facilè virorum & equorũ copiam elargiri queat, qua Centeni conatibus facilè obsisti atque intercedi possit, eam ad rem exequendam ipsorum consilium & opem postulat. Hoc enim rationum suarum fundamentis dabat, quod Centenus egregio regij iuris tuendi prætendiculo nouarum rerum initium omnibus excitatis fecisset. Propterea quando Consaluus communi coëuntium suffragiorum consensu, ac delatione summam Præfecturã adeptus esset, statutumq; fuisset, vt eam cũcti ratam indubitatamq; quietè ac pacificè tantisper haberent colerẽtq;, dum apud Maiest.

Alphonsus Torus ciuitatem Cuscon. in Cẽtenum incitat.

Tori pro Cõsaluo aduersus Centenum rationes.

certius negociũ constitueretur, ecquid caussarum Centeno relictum, cur bellis subticentibus ex sua authoritate pacatam Prouinciam nouæ seditionis ac cõspirationis superbia conturbaret. Neminem verò vsque adeò iniqua & ingrata mente erga Pizarrinum nomen esse affectum, qui aut nescire aut inficiari queat, quanto capitis ac fortunarũ discrimine, qua fide atque studio Consaluus ipsos omnemq; Prouinciam nocentissimo decretorum onere subleuasset, discussaq; illorũ nube, quantum per solius eius industriam commodi, ac ad conseruanda retinendaque vetera bona securitatis ad ipsos redijsset, cũ valente decretorum latione tristissimã omnium fortunis iacturam conflare atq; astrui ex omnium confesso certum esset. Ideò maximus publici in Prouinciã beneficij ab Consaluo collati vinculis arctè obstrictis par esse Consaluianum nomen tueri, seditiosorum conatus dispescere, maleuolentissimos publicæ quietis aduersarios reprimere, iustisq; belli supplicijs appetere, & libenter omnes eius fortunã non modo aspernari & refutare, sed complecti atque augere, cuius fidei exploratæ iampridem

Reipub.

Reipub. partes, & communem eius salutem committendã putassent. His rationibus facilè omnes in sententiam adduxit, & ad iuuandum sese persuasit, quum præterea recusantibus, certo exitio imminente, nemo refragari, & Centeni caussam approbare auderet. Torus enim, vti erat ab Consaluianorum reliquorum ingenio austero & trux ad iramq; procliuis, quosdam addubitantes capiendo & ad supplicij locum ducendo, cæteris summum terrorem admouerat. Hæc seueritas magnam virorum, equitum pecuniæq; copiam extudit, &, ne ipse graues impensas subiret, effecit, statimq; constitutis ad bellum rebus ad Hurcos profectus est (abest is locus ab Cuscone sex passuũ millibus) & hîc ad tres hebdomadas moratus, cũ intercluſis vbique vijs (indigenæ enim ferè omnes in Centeni partibus erant) plurimũ vereretur, ne sibi repentè inopinato Didacus incumberet, ipse certo dimicandi proposito ad Cicutos contendit. Ibi, quum res de compositione tentata nequicquam esset, Centeno non erat animus suos conatus & omnium salutem repentinè prælij fortunæ subijcere, ne in fortuito malo & Con

Tori sæuities.

Torus in Centenum.

saluianis, incredibili gloria inflati spiritus accrescerent, & penitus, quibus ad suũ insti tutum non læua mens esset, fracti animi de ijcerentur. Hac de causſa venienti Toro sen sim conceßit, seq; ad fatigandum insequẽtem in remotiora sensim durioraq; loca retraxit, & circa Argyreum amnem Casabindã peruênit. Torus acerrimè ad Argyropolim vsque cedentem insequutus est, quæ centum octoginta passuum millibus ab Cuscone abest, sed incolarum fuga deserta subtractaque omnia offendentẽ satietas insequendi cœpit, atq; inde reuerti domum properauit intentus & curioſus, valentißimis equitibus cum Alphonſo Mendocio in posteriore acie relictis, ne vlla ignominiæ inferendæ facultas Centeno præberetur. At Didacus in eam diligentißimè curam excubans, vt alicunde ex occaſione hostibus noceretur, vbi, quod expectarat, euenisse cognouit, cohortatur suos, vt alacriter adesse, secumq; fugientem hostem intrepidè adoriri vellent. Quod si, inquit, primi euaserint, certè postremi detrimentum effugere, ac se cædentibus vobis extricare non poterunt, quando, vti planè reor, secreta sub-

Centenus Toro callide cedit.

subesse causſa debeat, quæ modo insequentes nunc ad fugiendum impellat, vti, qui modo fugere videbamur, suis mox tergis adesse sentirent, quam vereor, vti semper suspicio mihi incidit, ne dissidio inter ipsos oborto, & Duce cum militibus parum conueniente, vim atque tyrannidem fortuna nunc deprehenderit. Cunctis ad ea alacriter succlamãtibus, maximis itineribus ad Torum contendit, & diu multumq; insequutus, vbi ad Collaonum agrum ventum esset, quanquam Torus procul iam abscessisset, tamen inter nouissimos illato impetu quibusdam cæsis quinquaginta cæpit, &, impositis in singula capita redemptionis quingentis aureis, dimisit præter paucos Tori familiares, quos Lupus Mendocius strangulauit, quem ea re gesta Centenus aduersus Alphonsum Mendocium Argyropolim misit, sed ille, quæ Toro accidissent, vbi resciuit, diuerso tramite fugiẽs cladem præcauit. Huius vel leuis victoriæ fama Regij ad omnium aures repentè surrepsit, vrbemq; atroci mox dissidio atque tumultu quorundam leuitate discidit: nam cum magna militum multitudo adesset, audita Centeni fœlicitate

Centenus Torum reuertentem insequitur.

Regij ex Centeni victoria tumultus.

citate (vt plærique fluxa et vænali sunt fide) rati omnem modo Prouinciam Consaluiani imperij nauseabundam ad Regij iuris causſam & Centenum, æquissimæ moderationis virum, expulsis Consaluianis subitò subitoq; defecturam, temporis & occasionis ignari, studia sua detegere cœperunt, multumq; sermonis ac murmuris de hac re hinc inde per vrbem ferebatur. Consaluiani haud dubiè perplexi quāquam essent, nihil tamen quicquam mouebant, sed omnem rei pacandæ spem in Laurentij Aldanij vrbis præfecti industria collocarant. Is ab Consaluo discedente Regio præpositus, vir erat integritatis iustitiæque plenus, & ciuitati percharus, tantoque impræsentiarum astutæ simulationis artificio flexibilis, habilisque ingenij naturam condierat, vt Consaluianæ amicitiæ in hac temporum necessitate deseruiens, in neminem tamen asperum quicquam popularе aut dissolutum ad suspicionem mouendam præstaret, sed ratione temperatâ Reipub. constantiam præberet, priuatis verò rebus propter infirmitatem bonorum & Consalui potentiam singularem cautionem & diligentiam

Laurentij Aldanij temperata & callida virtus.

tiam adhiberet. In eo vrbanæ fluctuationis momento perlata est in vrbem earum rerum fama, quas aduersus Velam Consaluus gessisset. Hæc coalescentes insurgentium animos planè refrigerauit, crescentemq; impetũ compressit, Consaluianis verò mirũ in modũ spiritus auxit, & ea in opportunitate ad maturandam seditiosorum pœnã erexit. Nec mora, incusatis quibusdam, qui maiore ante alios suspicione deflagrabant, ab Aldanio postulant, vt in seditiosos, & ad quamlibet vel leuium rumusculorum auram improbè tumultuantes quæstionem exerceat: ad quæ respondit Aldanius, de talibus nihil vnquã sibi constitisse, & vbi constaret, quæstioni se, sicuti par esset, minimè defuturum. Consaluiani quindecim comprehendũt, & inter hos Didacum Lupum Sunigium, captos modo ad fidiculas reijci, et lege agi ab Petro Martino forensium rerum Prætore volebãt, certumq; erat vitæ vltima miseris instare, ni Aldanius interueniens in suam domum captiuos accepisset, isthic quasi tutius, vti dicebat, arctiusq; custodiendos, ibi verò, non vti captiuos, sed familiares hospites omni tra-

Aldanij in captos humanitas.

Gandi beneuoleutia atq; humanitate comprehendit, & denique naui impositos, quanquam Consaluiani fremerent, et cõquererentur, liberos incolumesq; dimisit. Eam ob rem multis in Aldaniũ tacita suspicio succreuit, quod ipsi clandestini aliquid fœderis cum hostibus interesset, atque idem literis Consaluo perscribebant, &, vt illo interfecto periculosissimæ rei malo tempestiuè obuiam iret, hortabantur, verũ Pizarrus non ignarus quantum rerum suarum momentum in tanti viri spectata & sibi adhuc fida virtute recumberet, nullo expostulationum calumniarumque impulsu in Aldanium potuit concitari, fato nimirum postulante, vt per illum virum primus Consaluianæ ruinæ lapis iaceretur. Verùm Consaluus iam & ipse satis de Charcantum tumultu, ac Centeni rebellione, Toriq; casu edoctus, id in animum alte demisit, nec vllo segnescendum modo putabat ad eius mali initia opprimenda, quod propositæ æquitatis lænocinio, si longius promanare, ac diffundi in dies perferret, haud dubiè in eandem rebellionis ruinam vniuersam Prouinciam pertracturum videretur. Itaque ab omni alia

Aldanius primus Cõsaluianæ ruinæ lapis.

ni alia re huc omnes cogitationes curasque contulit, vt aliqua via Centenum tolleret, et egregiè Charcantum audaciam ad reliquorum terrorẽ vlciſceretur. Huic negotio cum ipſe propter Velæ Proregis metum ire non poſſet, Caruaial omnium maximè idoneus, tum ob belli ſcientiam, tum ob inſignem ad noxios puniendos crudelis & vel in inſontes inclementis ingenij acrimoniam videbatur, & eum proficiſci omnes maximè cupiebant, quòd partim bono & acri Duce ad bellũ gerendum, caſtigandosq́, rebelles opus eſſe prædicarent, partim quòd nocentiſſimi hominis & horrida feritate belluas excedentis præſentia ac conſpectu libentiſſimè liberari vellẽt. Caruaial ipſe id onus promptè aſſumpſit, paratam ingentem ex eo gloriam & profundas diuitias ſperans, ſchedulisq́, ab Conſaluo acceptis, quibus pecuniam virosq́, quos vellet, imperandi poteſtas fiebat, Quitone Michaëliam deſcendit, vbi inſenſus, quòd antea Proregem omni virium ſubſidio adiuuiſſet, venientemq́, ciuitas, vt nouæ benignitatis oſtẽtatione priſtinum peccatum diluere, & iratum mitigaret, ſolenni inductionis pom-

Conſalui in Centenũ curã.

Caruaial in Centenũ deſtinatur.

Caruaial Michaëliã iratus venit.

pompa excepit, qua introductus Proconsules sex, aliosq́ ex Principibus viros equis descendere, & se in hospitium sequi iussit, vt cum ipsis literas vnas Consalui communicaret. In conclaue vt ventũ est, foribus ædium clausis, armatisq́ appositis ostẽdit, quantum Consaluus in omnes ipsos iræ odijq́ conceperit, quòd præfracti in illũ hostes Velam perpetuis rerum suarum facultatibus adiuuissent, profugo in vrbẽ receptum perfugiumq́ præbuissent, & bellantis copijs quæcunque commeatuum ciborumq́ adiumenta subministrassent, idcircò primò sibi statutum destinatumq́ fuisse, vltima supremi excidij clade in ciuitatem animaduertere, postea verò consideranti innoxiam plebem vi aut saltẽ metu ad Principum suorum peccatum adductam, satius visum esse id authorum duntaxat supplicio expiare: iamq́ ipsos à se delectos, atq́ hic in plagas irretitos, qui vsque adeo fidos & præstantes Velæ fautores sese gessissent: ergò, vt mori cuperent, se euestigiò compararent, nullam exeundi aut fugiendi potestatem, clausa obseptaq́ue esse vndequaque omnia, moris non esse locum, statimq́ue

Crudelæ Caruatalis facinus.

vix

vix his dictis vnum raptim strangulari iubet. Tum verò cæteros ea atroci sententia attonitos, et vix sui cõpotes ipsa veluti mors inuasit. Is rumor per armatorum custodias delatus, omnem celeriter vrbem peruadit, omnes veluti in se eodem exemplo mox manaturo magnus terror capit, stupescunt imprimis, quorum fides suspectior erat, &, vt breuiter dicam, eadem vbique mortis facies, perculsio, horror, qui morti addictos intus circumsederant, versabantur. Certè in tacito omnium silentio memorandum muliebris impotentiæ, impatientiæq; exemplum emicuit: vxores enim, aut proximæ horum, qui inclusi apud Caruaialem tenebantur, magno questu vlulatuq; tectis effusæ, & sacri ordinis viros appellantes, cum his vnà per posticum custodia nudum in Caruaialis domum irrupêre, & ibi ad contumaciſsimi pedes abiectæ infinitarum precum ac lachrymarum strepitu constitutæ crudelitatis propositum expugnarunt. Sed Caruaial id concessæ miseris vitæ beneficiũ suo pudori & mulierũ causſæ ita donauit, vt, quum in fœmineum fletum irrumpere, & iacentes eiulantesq; respuere, (quod

Plurima mortis imago.

Memorandum muliebris impotentiæ exemplũ.

(quod ne Barbarus sustineat) infame sibi ac turpe indecorumq; existimaret, horumq; exemplo cæteris similem audaciam resecandam diceret, vt, inquam, exilij, ereptorumq; seruorum pœna miserabiles elabi non possent. Post hæc, corrasis ab his quinque aureorum millibus, Trugillum petijt, passim ingẽtem pecuniæ vim exigens, non ærarijs modo, sed etiam templis interdum sacrilega manu spoliatis, & priuatim omnibus coactis aurum argentumq; in publicum conferre. Perlibenter huic etiam vrbi suæ crudelitatis monumentum Melchioris Verdugi cæde relinqui volebat, quem ante alios maximè cupiebat vindicatum, quòd ille perpetuo Velæ studio atque obseruantia lõgè alios omnes præiret: verũ nec illi tanta amentia fuit, vt infestissimi hostis aduentum ad certissimam & crudelissimam pœnam expectaret, ideoq; maturè in Cassamalcanum agrum proximum secedens, festinantẽ, & vno animo Centenum petentem, Caruaialem deuitauit. Trugillo Regium est peruentum, atque hinc petitum Vamantiacum. Ibi morante Caruaiale, Regij Franciscus Giro, Ioãnes Velascus, Franciscus

Melchior Verdugus Caruaialis aduentum fugit.

tiſcus Guſmannus, & Franciſcus Rodoricus comprehenſi ſunt, & magno inflictorum tormentorum excruciatu initæ in Laurentij Aldanij Præfecti cædem, inuehendumq; vrbi tumultum conſpirationis confeßio eſt expreſſa, ac poſt exiguam aliquot dierum moram Giro ſuffocatus eſt. Velaſco manu præciſa vitæ indulgentiam multorum deprecatio impetrauit, reliquis quanquam eadem clementia contingeret, ita tamen horribili tormentorum vexatione fracti contuſiq; ſunt artus, vt perpetua paralyſi debiles, membrorumq; apoplexia enerues corporis vſum per omnem vitam miſerabiles deperderent. Petrus Manzarrus, qui coniuratorum caput erat, in præſentia quidē ſe fuga in altos montes expedijt, ſed in poſterū tamē poſt diuturnas latebras in Conſaluianorum manus deueniens, non ſero deſtinati ſuſpendij ſupplicium ſubijt. Petro Martino forenſi Prætori ſuſpicio inſidebat, quod ijs etiam Ducibus, qui Caruaialem ſequebantur, aliquid ſocietatis cum ea conſpiratione clam ſubeſſet, ideoq; Franciſcum Guſmannum inter tormenta rogabat, num cum eo inſtituto nihil quicquam

Conſpiratio in Aldaniū detecta & conſpirantium pœna.

quam cõmercij ac cognitionis Peruchio Aquirræ intercederet, is cito cruciatu perfungi festinans, tum id confitebatur, posteà exemptus, id præ pœna abs se agnitum dixit. Sed id dictum vi expressum tantũ apud Tyrannica ingenia valuit, vt, simulac res ad Caruaialem fuit perscripta, nulla accurratiore solidioreq; habita quæstione Aquirræ & quinque alijs, frustra omnibus contrà clamantibus, & reis suam innocentiam in ipsis scalis solenni protestatione profitentibus, laquei mors irreuocabili conceptu imposita ad insigne Tyranni scandalum fuerit subeunda. His vix dum sopitis rebus, ad Caruaialem perlatum est Didacum Centenum prælium defugientem cessisse Alphonso Toro, & Casabindam retrogressum: quamobrem non necessariã maximi & longissimi laboris profectionem adeundam iudicans, Regium est reuersus. Tacita enim eius animo formido insidebat de Toro, cum quo longas simultates non obscura imperij obtrectatione gesserat, quem, si in Centenum pergeret, vindicandæ simultati, & iræ satiandæ explendæ cupidini, ad se vel insigni ignominia, vel ipsius salutis

Petrus Aquirra & alij quinque innocenter suspensi.

Caruaialis & Tori simultas.

salutis inextricabili periculo onerandũ minimè defuturum putabat: neque verò adeo famæ suæ erat ignarus, vt inuisa Tyrannide alienatos à se suorum militum animos, inuitosq; sequi, & vel ad omnem leuissimam causſam molestos fore nequaquam intelligeret, prospiceretq; sibi magni discriminis bellanti rem futuram, & cum hoste, & cum militibus proprijs, & cum Toro vndique conflictari. Ergo Regium reuersus vt in vrbem venit, diuerso rumore longè rem se secus habere cognouit, rediisse Centenum, & regrediuntem Torum multis in tergo captis insigni detrimento affeciſſe. Ad eam famam Arecupiam accessit, inde in Charcantes profecturus, quum talia meditantem per literas Cusconica ciuitas obsecrauit, vt accedere non grauaretur, & eam vrbem (quæ non sine magno amplissimæ gloriæ fructu egregium & laudatum aliquãdo ciuem habuisſet) illo dedignari honore non vellet, vt nobilem profectionem inde susciperet, insigni cũ laude propediem & magno vulgi applausu egregius ac præstans victor excipiendus. Hæc inuitandi humanitas non diu ciuitati læta fuit

Cusconici Caruaialẽ ad se inuitant.

Tori cauſſa. Is enim inimiciſſimum ſibi hominem aduocari, & à Pizarro ſibi multa fælicitate bellum gerenti ſummiſſum eſſe indignatus, perlibenter vindicando dolori occaſionem dari volebat, ſed interim ægrotantis animi affectum callidæ oſtentationis artificio ſimulabat, quanquam non ita frontem & linguam contrahere poterat, quin improuisò euolãte interdum iniquiore dicto ægritudinis conceptæ ſuſpicio multis ſuboleſceret.

Torus Caruaiali inſidias ſtruit.

Igitur Caruaiale aduentante ciues armatos & veluti in pugnam euntes inſtructos adeſſe iubet, atque egreſſus tecta in valle (quæ tranſeunda Caruaiali erat) conſedit, in hanc expectationem intentus, vt ſe aggrediunte aliquo tumultu iniecto ad cogitatæ rei euentum negocium traheretur. At Caruaial his omnibus probè cognitis non dubius, quin hæc ab inſidioſo animo ad aliquã expediundi doli fortunam parata eſſent, rem tamen & ipſe ſimulanter premens Sclopettarios onerare Sclopetta iubet, dein intentè ordinata acie pergit. In vallem vt ventum eſt, è latere Torus ſe inopinatò intulit, ſed neminem moueri conſpicatus eum hoſtilem aggreſſum in repenti-

repentinam ſalutandi cærimoniam conuertit, & Caruaial ſatis & ipſe vafer tempori benè ſeruiebat. In vrbem introductus paucos poſt dies nullo verbo ad Torum habito vocatos ex familiaribus ipſius Principes aliquot necauit, quo facinore incredibili doloris inſania Torum pupugit. Tum adhuc Quitone ſedebat Conſaluus de Velæ Proregis inſtituto incertus, nec quicquam de ipſo cognoſcere aliud poterat, quàm quod inanis fama ferret, aut longè inaniores hominum coniecturæ perſuadebant: quidam in Hiſpaniam rediturum dicebant, alij quieta in ſede Popæanæ Cæſaris cõſtitutionem præſtolaturũ, plurimi ad Terram firmam aduolaturum aſſerebant, vt itinera intercluderet, & vires fractas inſtauraret. Ad hanc poſtremam opinionẽ facilè ſua ſuſpicione inclinabat Conſaluus, ideoq́ Ducum etiam ſuaſu optimum factu ducebat, occupata Terræ firmæ Prouincia, vtcunque Cæſarei iudicij euentus caderet, itinerum facultates in manu habere. Commodum ad hanc rem paulò ante Baxicouus Panamaide cum trecentis peruenerat, & quia is infanda crudelitate iſthic rebus

Polypi mẽs ἀλωπεχί ζειν τρος ἑτέραν ἀλώπεχα cum vulpe vulpinandum.

Conſaluianorum de Vela Prorege opiniones.

conturbatis indigenarum voluntates, ſicuti dictum eſt, ab Conſaluiano nomine auerterat, Pizarrus trecentos hos & claſſem omnem mitioris ingenij & ad alliciendos homines commodioris lenitatis viro Petro Hinoſæ attribuit, eumq; imprimis Bonauenturanum littus & D. Ioannis amnem incurſare, & ipſum deniq; Iſthmum cum Panamaide atque Theonyma occupare iubet. Hinoſa, non longas varijs moliminibus moras nectens, breui Veterem Portum peruenit, vnde Rodoricum Caruaialem cum literis Conſalui Panamaidem ad quoſdā Principes dandis myoparome mittit. In his ille blandiſſimam fallaciæ eſcam protrudens hortabatur, vt fidei & beneuolentiæ conſtantiam in Conſaluianum nomen reſeruarent, ac rem ſuam ſyncera fiduciæ perpetuitate pro virili proue herent, cuius ſtudij gratitudinem remunerationemq; perſpicua declaratione intellecturos: Non autem ſine magno luctu audiiſſe, quæ iampridem furciferi hominis diritate inflicta crudelitatis atq; furtorum damna & clades pertuliſſent, id profectò maximè ab ſua voluntate fuiſſe auerſum, Tiadam dunta-

Petrus Hinoſa claſſi Conſaluianæ præficitur.

Fallaces ad Panamaitas Cōſalui literæ.

duntaxat exponi volente, & ad eam bono indicio declarandam, propterea, vt iniuria affectis erepta penitus compensarentur, Hinosam cum magna pecuniæ vi sese mittere, atq; is, quanquam armatos etiam in classe contineat, fieri tamen non violandi ipsos causſa, quod impiè Baxicouus feciſſet, ſed defenſionis gratia aduerſus Velam, quem iſthic per certos homines inautorare milites fama iactetur. Cum his literis Rodoricus dimiſſus Anconem vbi venit (oppidulum id eſt non procul Panamaide) ex ruſticanis cognouit Ioannem Guſmannum & Ioannem Illaneſium, Velanos Duces, in vicino agro militum delectum habere, & ferro vel vrbem occupaturos, vel Popæanam ad Velam cum militibus contractis profecturos. Rodoricus ſatis periculi ſui, & deploratæ ad quid impetrandum ſpei gnarus, ſi morando inutiliter tempus tranſigeret, expeditum ſtatim militem cum literis ad vrbem clā mittit. Is adhibita, qua poſſet, celeritate contendens, vbi literas ciuibus tradidit, eaſdē illi ad Senatum detulêre, cuius iuſſu tabellio comprehenditur, & minis metuque ab eo rei veræ narratio

Tabellio ab Panamaitis comprehenditur.

extorquetur. Per hunc cognito Hinosæ aduentu ad arma modò discursum est, missæq; liburnicæ duæ ad Rodorici myoparonẽ expugnandam & capiẽdam: sed hic ea tabellionis cunctatione idipsum, quod acciderat, suspicatus ad insulas Parolenias, littori Bonauenturano obiectas, Hinosam expectaturus sese recepit. Is cum decem delectis nauibus breui ad Bonauenturam appulit, eo consilio, vt rumusculum quempiam de Velæ conatibus venaretur, & repertas fortè naues caperet, omnemque ea ex regione, quæ ad Velam Popæanam ducebat, nauigandi facultatem tolleret. Ibi ex captiuis, quos exultantes in continentem milites adduxerant, relatum est Velam, Popæanæ adhuc versantem, enixissimè viribus reparandis elaborare, & in intimam Prouinciam bellum vertere meditari, ac, quum Illanesius, atque Gusmannus mediocrem manum attraxisse constaret, statuisse Velam Nonnium fratrem cum Ducibus aliquot Panamaidem ablegare, vt finis tandem conscribendi esset, & maiori authoritate reliquum negocium administraretur, ac conscripti ad Velam

Hinosa consilij Velæ ex captiuis fit certior.

lam primo quoque tempore adducerentur: dediſſe eam ob rem illi pecuniam omnem ex Cæſareo fiſco alijsq; bonis contractam, & puerum etiam Conſalui nothum, vt eundem male mulctatũ conſpicatus negociator quiſpiam ad promerendum parentis beneficium emercaretur: cum verò Baxicouum omnia nauigia abſtraxiſſe non dubitaret, iuſſiſſe per indigenas ſeruos ad ædificandam celocem picem, ſtuppam, ligna, omnemq; materiam accommodã ad portum cõportari, vt extructo & remulco in æquor nauigio protracto Nõnius iamdudum Popæna digreſſus, & vnius vix diei itinere adhuc abſens quamprimum Panamaidem adueheretur. Hinoſa his perceptis lætus, & veluti in ſinu ridens, ilicò duplicem militum manum diuerſis vijs emittit, & ductante illo, qui hæc enarrarat, vna Nonnius, altera Rodoricus Mexia & Saiauedra Pizarri puerum nothum adducentes vterque magna cum auri vi in poteſtatem deuenerũt, & ad claſſem vnà cũ captiuis cæteris magno Hinoſæ gaudio ſunt perducti. Hinc rectà Panamaidẽ contendenti occurrit è Parolenijs inſulis

Conſaluĩ nothus.

Nonnius Velæ frater ab Conſaluianis per inſidias capitur.

Rodoricus Caruaial, & vrbani adhuc ſtatus ignarum monuit, vt intentiore cura & ordine ad vim refutandam expeditus adueheretur, atq; ita Anconem peruentum eſt. In vrbe interea iamdudum, quod ad hoſtē prohibendum, & ſe defendendum opus erat, ſedulò præparabatur, erantq; armatorum amplius quingēti, ſed inter hos mercatores ac mœchanici tantæ ad res bellicas ruditatis ineptiæq; homines, vt multi Sclopetta exonerare neſcirent, plurimi iaculaturi manibus trepidabundis igneſcentes funiculos pulueri admouerent, atq; omnes ab pugnandi voluntate planè abhorrerent. Exiſtimabant enim non modo nulli futurum fraudi, ſed ingenti bono ceſſurum, ſi Peruuinis viatoribus præberetur acceſſus, ex quo mercatores opimiore tū negotiatione ingens lucrum ſibi ſpondebant, mœchanici ſuis quoque negocijs permagnum incrementum ab eo frequente hominum commercio ac commeatione acceſſurum ſperabāt: eosque imprimis, qui exercitatione argentaria egregiè locupletes, paſſim per Peruuinas vrbes eius exercitij ſocietates & (vti vocant) muſæa habebant, ſummus metus inceſſerat,

Panamaitæ aduerſus Hinoſam arma capiunt.

ceſſerat, ne Conſaluus, quando ſuis aditum denegatum accepiſſet, ea ad contumeliã vindicãdam cum ſupremo ſuarum fortunarum detrimento ſpoliaret atq; euerteret. His Petrus Caſoſius Iſthmi Præfectus, quos Theonymæ & vicinis in agris rapere poterat, Panamaidem adductos iunxerat, ſub quo præter Velãnos Duces Guſmannum atque Illaneſium, inſignes aliquot & illuſtres viri militabãt, ſingularibus ſub vexillis milites abs ſe conductos ducentes. Hi ſociati omnes, audito Hinoſæ aduentu, ad prohibendos exitu deſcendere è nauibus volentes vrbe ſunt egreſſi. Hinoſa probè vrbani ſtatus ab Rodorico Caruaiale edoctus, Ancone duobus ab Panamaide paſſuum millibus expoſuerat milites, & eoſdem inſtructos ſecundũ littus ducebat, actuarijs nauigijs ſequi iuſſis, vt in inuadentes hoſtes tormenta ſtatim diſplode- Hinoſa in rent, relictiſq; apud naues maiores militibus quinquaginta mãdarat, vt ad prælij inchoati ſenſum Nonnium cum ſuis ſtrangularẽt. Caſoſius, & ipſe numero mãgis, quam virtute ſuorum, confiſus, ad præliandum eodẽ gradu propinquabat: iamq; intra oculos & te-

Panamaitæ in Hinoſam egrediuntur.

Panamaitas acie progreditur.

lorum iactum penè peruentum erat, quũ sacrati sacris indumentis signisq; venerabiles inter vtrosque ab vrbe concurrunt (quod ab muliebri sexu factum aliquando Romanæ historiæ meminerunt) & verba spirantes molliendo impetrãt, vt pugna dilata rationi ac colloquio locus antè daretur. Tum, inducijs constitutis & fide accepta, ad colloquium in medium Balthasar Castilianus ab Hinosa missus, & Petrus Cabrerius (quem ab Vela intra Panamaidẽ fuisse proscriptum diximus) vrbis nomine prodierũt. Ibi Castilianus prolixè cõmemorat planè nescire, & planè nulla cõiectura assequi Hinosam posse, qua ratione inducti se oẽs veniẽtes oppugnare & eijcere vellẽt, quãdo ex missis literis sat ipsis iampridẽ confirmatũ scirent, nõ prædandi, aut aliqua belli inhonestaque licentiæ iniuria quenquam violandi caussa se venisse, sed missum ab Consaluo Hinosam ad facienda rerum ereptarum detrimẽta, & diluendam liberali remuneratione impotentis Baxicoui noxã adesse, quẽ prius non lacessiti ad irã prouocare ecquid æquitatis esset? Præter dictã caussam non aliã subesse aduen

Pugnam imminentem intercurrentes sacrati impediunt.

tus

tus sui, quã vt Velã inquirerent, & turban tẽ omnia inquietũq; hominẽ in Hispaniã, eò ab Ephoris iampridẽ destinatũ, abire cõpellerẽt: quẽ si isthic nusquã inuenirẽt, non aliud constitutũ habere, quã vt, nauibus refectis, necessarijsq; cibis comparatis, abirent: igitur, si quid adhuc in ipsis prudentiæ supereſſet, temerario ausu non cædes, nõ verbera quærerent, alioqui eò necessitatis adacto Hinosæ illa tũc pro sui ac Imperatoris nomine faciunda relinqui, quæ ad se defendendũ & puniendum rebelles honestas, et Consalui imperium exprimeret. Ad ea respondens Cabrerius Pizarri iniquitatẽ ostendit, quantumuis enim legitimo iure Peruuinæ Prouinciæ administrationem atq; imperium obtineret (veluti ipsi iactarent) perinquè tamen Hinosam hunc cũ armatis in Isthmũ misisse in quẽ nullũ vel quæsiti iuris colorẽ obtendere posset: præterea admissi iãpridem Baxicouiatrocissimã immanitatẽ fecisse, cur ipsorum scriptis pollicitisq; nullã fidẽ haberent. Hæc interfati quũ esset, res demũ his cõditionibus ad transactionẽ perducta est, vt continente, & vrbe frui Hinosa dies triginta, et milites quin-

Panamaitæ cum Hinosa pacisciuntur.

quinquaginta ad sui præsidium assumere posset, reliqui ad Parolenias insulas retrocederent, & materiam isthuc ad naues reficiendas conferrent: dein Hinosa, absoluto triginta dierum spacio, quamprimum Isthmo excedens in Peruuiam nauigaret. Hac pace confecta, vrbem cum designato præsidio Hinosa intrauit, & paucos post dies admirabili versutia omnes Velanos milites in suas partes traduxit. Nam cibaria ac potum quibus q̃ præbens, & omnes, qui vellent, lusibus commerciis q̃ suorum indulgere patiens, cunctis cum se ex æquo affabilem, comem, ac beneuolum præstaret, hac benignitate permoti milites, qui in aciem aduersus ipsum prodierant, ad illum transierunt: quamobrem hominis potentiam inualescere & confirmari in dies Velani Duces conspicati, nec eã ignari ad solidi imperij iacienda fundamenta astrui, seq̃ ob id nudos inimico cõmittere non audentes, vbi sensim cõditiones velli & infringi seq̃ deseri sensêre, Theonymam profugerunt: sed inter hos retractus ex fuga Ioannes Illanesius Consaluiano nomini se addixit. Ita nullo impediẽte, Hinosa in Isthmo

Hinosa Panamaidem intrat & Velanos ad se trahens callidè Isthmum occupat.

mo permansit, viribus augendis inuigilans: sed nulli molestus aut iniuriosus, hostium etiam Duces, si se modestos præberent, haud il liberaliter aut morosè complectens: paulóq; pòst Petrũ Cabrerium & Ferdinandũ Mexiam misit Theonymam, vt isthic perlatorum scriptorum nunciorumque rumores, ex Hispania affluentes aucuparẽtur. Hæc moliuntem diuersa sollicitudo cœpit. Melchior Verdugus, cuius suprà mentionem fecimus, vbi de Caruaialis discessu certò percepisset, Trugillum reuerterat, vnde ad fugiendam illius venientis immanitatem, in Cassamalcanum agrum secessisse suprà demonstrauimus, & isthic appositum pari dolore Consaluo gratiæ remetiendæ tempus quærens, occultè in ædibus suis (habebat autẽ nobilium ritu magnificas) milites ad se trahere, pecuniam comparare, Sclopetta, compedes, catenas & ferrea id genus vincula per certos fabros clam cudere cœpit. Tum forte Regio naui gium deuectum in portum appulerat, cuius magistrum ad se vocatum horrido et caliginoso conclaui includit, quod eum in euentum ædificãdum curarat: inde pedibus obuinctis,

veluti

Admirabilis Melchioris Verdugi astus.

veluti podagra laborabundus, (vti frequenter tenebatur eadem) ad prominentem in plateas feneſtellam ſe componẽs, Prætores Iudicesq́, qui circiter indies commeare ſolebãt, rogabat, vt cũ ipſe per morbũ deſcẽdere non poſſet, ad ſe aſcendere colloquij cauſſa non grauarẽtur; eaq́ ratione intra limina pellectos apud nauiculatorem compedibus ſtrictos iubebat condi. Hac arte amplius viginti in vincula pertractis, qui Conſaluiani nominis præcipui erant, extra domum repentinus procurrit, & magno clamore regium nomen ingeminans ad forum contendit, & ad nouanda ſtudia excutiendumque Pizarrinæ iniquitatis iugum, omnes percellere nititur, attractisque quibuſdam ad captiuos intus accedens his animi ſui inſtitutum detegit, grauiſſimè de ipſorum perfidia expoſtulat, quòd priuato homini adiurati, qui per vim & nefas omnẽ Prouinciam inuaſiſſet, regij iuris ac nominis rationem proderent: idcirco minis terrefactos ingentem pecuniæ ſummam ſibi Maieſtatem tuenti expendere iubet; quandoquidem Conſaluo permagnas ſæpe iterumque perſoluiſſent.

Cum

Cum metu nemo recusaret, imperata cum nauiculatore transigens, apparatu omni & ipsis captiuis omnibus carpentis ad littus aduectis, in nauem conscendit, properéque abiens Bonauenturanum portum petebat, in itinereque holcadem præda Isthmiaca Baxicoui onustam deprehendit: sed veritus ne ea via contendenti Consaluiana classis occurreret, de qua nihil certum habebat, ad Nicaraguanæ Prouinciæ littus substitit, & inde in continentem egrediens, Gratiam, vbi iurisdictionis sedes tum erat, profectus est. Ibi multis precibus ab Ephoris Præsideque impetrat, vt sibi pro Maiestatis iure in Tyrannos bellaturo ipsorum militum, ac præfectorum opera accommodaretur. Impetrato ad eam rem publici consensus diplomate, & misso insuper Ramirio Alarcone idipsum iubendi caussa, Verdugus breui ad centum viros contraxit: rebusque omnibus diligẽter exploratis, audiens Hinosam cum præsidio vniuerso Panamaide versari, Theonymam verò à paucis teneri, eò, quòd id maximè ab hostiũ expectatione alienum videbatur futurũ, accelerat, per lacum-

Verdugus Isthmum Consaluianis eripere intendit.

lacumq́, Nicaraguanum in Occidentale Oceanum delatus ex captiuis quibusdã, quos cum nauigio quodam cœperat, quid Panamaide, quid Theonymæ gereretur, quî isthic, quî hic Duces agerent, omnia luculentius cognouit. Celeriter ergò in occasione aduolandum ratus, cum militibus media nocte in littus excedit, & vnum ex captiuis Ducem sequutus in vrbẽ peruenit, nec excitato adhuc tumultu, rectà ad Ioannis Sabalij ædes pergit: in quibus hospitio excepti erant Hinosani Duces Cabrerius & Mexia. Ibi per vim irrumpere paranti ab prætorianis militibus egregiè repugnatum est; ac, primis repulsis, tantisper defensæ sunt ædes, dum virtutis locus esset. Verdugani, vbi maiore vim contrà, ac rati erant, resistendo contendi viderunt, tecta facibus illatis succendunt; nec, vti id primo sentiri non poterat, pugnæ ardor deferbuit, diuque concitatus stetit, & eò concitatior, quo crescente flamma Hinosanorum crescebat periculum. Tum demũ, vbi proserpens ignis laquearia lambere inciperet, decideréntq́ in pugnantium capita fauillæ & ardentes titiones, Cabrerius & Mexia aut

Verdugus Theonymã occupat.

Ædes oppugnantur

aut moriendum, aut sanguineo furore erum pendum conspicati, per flammas virosq; præ senti animo prorumpũt, noctuq; tenebris con tecti Panamaidem celerrimè refugerunt, & Hinosæ, quid accidisset, renunciarunt. Facilè tum clades, tum ignominia, tum ipsa bel li ratio, ne hostem ijs in finibus augescere, & commodissimum omnium portum obti neri pateretur, permouerunt Hinosam tum ad Verdugum eijciendum, tum ad omne Ve læ exterminandum nomẽ, vt id in summam curam cogitationemq; reciperet. Sed, vt ho nesto velamine res ageretur, ciues Theony menses quosdam subornat, qui ciuitatis no mine Riuerium præfectum adirent, & ca lumnias in Verdugum ementientes, (nempe vti pecuniam omnibus extorqueret, Iudi ces ac Præfectos in vincula cõijceret, & mul ta improbæ confidentiæ argumenta propo neret) ab eodem ipsius auxilium atque opem aduersus hominem pernicioſum flagitarent. Riuerius his fidem habens, quũ eam ad rem Hinosa suos aliquot illi milites deferret, ac cepto ab ipsis sacramento Panamaide Theo nymã properauit. Verdugus rem festina ex-

Hinosa cal lide sibi Theonymæ Præfectum aduersus Verdugum ascisçit.

ploratione intelligens forum capit, & ibi, quod reliquum erat, acie instructa & ciuibus adiunctis peragere cõstituit: posteà tamẽ veritus, ne in medio iam pugnæ feruore, oppidani in vicinas domos secedẽtes se nudum desererent, & ipse tum circumclusus in inextricabile aut receptu effugioq; difficilè discrimen perueniret, melius duxit, foris pari tum suorum æquitate iniquitateq; dimicare. Igitur, educto & suo et oppidanorum agmine, iuxta littus æquo in loco constitit; & ipse interim appropinquarat Hinosa. Tum, emissis vtrinque telis, mutuò incursum fuit, vsque adeo acri inuectione, vt ad primũ congressum multi viri fortes & nobiles aliquot ex Theonymensibus interfecti caderent. Id primum oppidanos perculsit, pugnandi profundendiq; sanguinis conspectui insuetos: deinde, vbi Riuerium ab hostium partibus stare sentientes non vitæ modo in præsentia, sed in posterum fortunarum etiam periculum, eò quod in suum Prætorẽ Præfectumq; acie pugnarent, se subijsse viderunt, in proxima littora gradum retrahẽtes secessêre: deinde cum militas terrere ac retinere abeuntes

Pugna ad Theonymã Hinosæ cũ Verdugo.

tes vellent, hostili vi & intestino etiam dissidio conuulsi sunt ordines: ab hostibus victoriæ clamor attollitur: Verdugani varias in partes diffugiũt, & ad littus præcipites descendere conantur, pauci intenta aliò fuga per auias & inaccessas rupes euadunt; ipse Verdugus satis trepidè ad naues se proripit, quæ nisi littori appulsæ trepidos accepissent, superfuisset fugæ aut pugnæ vix quisquam: & ibi etiam sat trepidatũ ac tumultuatum fuit, dum nautæ, ne hostes cum suis simul irrumperent, trahunt scalas orasque; milites item certatim pro se quisq; primum in eas euadere contenderent: multi insuper nauibus adnantes profundo mari immersi, incerto præ timore quid aut peterent, aut vitarent, fœdissimè interierunt. Ab ea Verdugi clade, quicquid turbatum erat, subita tranquillitate resedit, pacataq; Repub. eosdem Duces cum maiore præsidio vrbi relinquentes, Hinosa atque Riuerius Panamaidem, vt isthic Cæsaris mandata quietè expectarent, redierunt. Interea Caruaial, paucis diebus Cuscone transactis, in Centenum progredi cœpit, et per Collaones ad Pariam regionem,

Hinosæ victoria & fœda Verduganorũ fuga ac trepidatio.

Caruaial in Centenũ

quo cesserat Centenus, iter habebat. Trecenti circiter erant, qui abeuntem comitabantur, sed inuiti & per vim tracti: quare hac multorum erat opinio, vt ab suis in itinere proderetur; quando, præterquam quòd militum stipendijs non satisfaceret, crudele ingenium, immanem indolem, inhumanos mores ferre vix quisquam iam posset. Sed has omnium voces, vel ad se delatas, astuta aure Caruaial transmittebat, ne vllius dubitationis præstitæ argumento nutantes confirmaret commoueretq; sed constantis animi, & stabilis fidiq; vultus præsentia metu ac terrore susurrantes ab aliquo incepto comprimeret. Vbi castra castris contulit, misit Centenus, qui Caruaiali denunciarent, si ad Maiestatis tuendum nomen dare se vellet, ipsum se habiturum amicum, & in quibuslibet bellis fidissimum adiutorem; sin, qua venisset, mente cœpta continuare statuisset, pugnam extemplò pararet. Caruaial ea magno cachinno verba excepit, statimq; colloquiũ telis interiectis interruptũ est, plærisque etiam cum læthalibus pilulis etiã conuicia & probra interiaculantibus. Tum nil cunctatus

Centeni ad Caruaialẽ legati.

Caruа-

Caruaial acie parata in Centenũ rectà procedit: & illi etiam, quòd equitum numero abundaret, & superiore in Torum victoria factus esset animatior, non alia sententia stabat, quàm vt eo die rem prælio definiret; sed huic obstabant Argyropolitani, qui, audita cognita q̃ militum in Ducem abalienatione atque infidelitate & offenso affectu, spe rabant rẽ, deserto Caruaiale, sine prælio conficere, & ob id minimè dubiam pugnæ fortunam experiundam sentiebant: quibus Centenus morẽ gerens ex eo loco quindecim passuum millia abscessit, acerrimè instante Caruaiale, & veluti cedentium calces propè calcante; castra etiam, quàm fieri poterat, proximè apponebat; & ea nocte imprimis diligentissimas fidissimorum quorum q̃ vigilias constituit, & vniuersam etiam aciem instructis in ordinibus continuit, neminem exire passus; quanquam Centeniani Sclopettarij lacessentes mirum in modum molesti essent. Postridie Centenus versus Collaones properans, decem passuum millia confecit; & pari festinatione non procul semper tergis aberat Caruaial, quendam etiam fatigatione subsi-

Acris Caruaialis in Centenum insequutio

ſtere auſum ſuſpendi iuſſit, eodem ſupplicij genere ſe affecturum adiurans, quos pigritia tale quid audentes deprehenderet. Sequentibus diebus eadem fuit ſemper & cedentium & inſequentium celeritas: iamq; Centeniani feſſi & euadere diffidentes paſſim dilabi, clã fugere, Ducem deſerere; quũ Caruaial, quoſcunq; conſequeretur, nulla ſpe veniæ laqueis ſtrangularet. Centenus ſuorum conſilia detestatus, quòd ſe dimicare volentem importuna & exitiali diſſuaſione impediſſent, vbi ſe deſtitui ſenſim, & minui ſuos indies vidit, præmiſſo ad nauigium procurandũ Riba Nærio, quo ſe reliquæ ſaluti ac fugæ ſeruaret, Arecupiam iter intendit. Vix biduum iſthic tranſactum erat, quum & ipſe Caruaial adfuit: qua celeritate victus & occupatus Centenus, cæteris in quas vellent partes abire iuſſis, ſolus ipſe in mõtes profugit, vbi profundo in antro ab vicinis Barbarorum Principibus, eius cauſſæ mirificè ſtudioſis, quotidiè comportatis ad ipſum cibarijs ſecretiſſimè ſuſtẽtatus tãtiſper delituit, dum, vti dicetur, ad Petri Gaſcæ Præſidis aduentum, rebellante in Conſaluum Prouincia, ami-

Centenus diu in antro delituit.

animum ad sese erigendum viresq; instaurandas resumpserit. Caruaial in agro Arecupiano de Centeni fuga certior factus, viginti Sclopettarios ad persequendũ Lupum Mendocium misit; sed hic intentißimæ celeritatis industria ad Argyreũ amnẽ euasit. Postridiè Caruaial vt Arecupiam venit, nauem ad littus aduertit, quam Nærius ad Centeni fugam pararat; edoctusq; non modo in quem vsum parata esset, sed quam tesseram proposuisset Centenus nautis dandam, in spem nauigij potiundi venit: circiter secreto in loco abditis viginti Sclopettarijs tesseram dedit, quam Nærius Centeni iussu datam ratus, lembo littori adnauigari, sed & fraudem aliquam præmetuẽs, diligenter nautas prospicere iubet: ita præmoniti illi excedere prius nolebant, quam Centenum viderent: ac sic animaduerso dolo vela vẽtis dantes Nicaragnam cursum instituêre. Caruaial ea spe frustratus Argyropolim, atque hinc Pariam concessit, vt inde in Lupum Mendocium bellum moueret. Is enim ad Argyreum amnem perueniens Gabrielem Vermudum, cum centum viris descendentem, sibi

adiunxerat; & ad Poconem quadraginta passuum millibus ab Argyropoli considebat. Antequam Paria discederet Caruaial, milites breui hortatione precatus est, ne se Ducem sequentes, cuius ductu tantarum victoriarum facti compotes nominis sui fama omnem Peruuiam compleuissent, eum nunc insequi pigeret, quem semel fusum & fugere compulsum, non modo non pati, sed iusto dolore indignari deberent; quod victus fugatusq; homo inquietissimus cessare non posset, inuidiaque in se ac nocendi studio non prius cessaturus videretur, quam vltima vltione affectum è medio sustulissent. Se scire nõ sibi modo certam esse victoriam, sed hoc videre, quum Mendocium milites equosq; auro radiantes in aciem esse productum fama teneret, opulentissimam ipsorum manibus prædam parari; sibi quoq; priuatim ex hostium Ducibus multos suam per literas operã venditasse: superesse laborem ac negocium ad victoriam nullum aliud, quàm vt ad locum, in quo hostes versarentur, peruenirẽt. Posthæc, triginta adhuc in itinere comparatis, Poconẽ accessit; &, castris positis, hostibus ab edito lo-

to loco se ostendit. Mendocius, hoste conspecto, nullam instruendæ aciei moram fecit; satisq; sciens omnẽ in equitibus victoriæ spem esse, qui egregiæ virtutis & armaturæ erãt, cum his, relictis in planicie cum magna argenti auriq; vi impedimentis, aduersus hostem processit, non longiore hortatione omnes admonens, quàm vt meminissent se pro iure & æquitate in infamẽ & omni turpitudine obsitum Tyrannum pugnaturos, quem, non aliud vereri se, quàm vt illum prius tollãt ac cædant sui, quàm ad manus veniatur; se verò omnes in eum coniectos locum, vnde cum salutis spe extricari non possent, quando captis explorata illam iamdudum crudelitas hostium præciderit: vincentibus verò ea omnia breuissimo tẽpore ac labore accessura, quæ, tot partis victorijs & vrbibus spoliatis acquisita, hostes attulerint. Cæterum Caruaial, Mendocio castra mouente, diuersa via ex edito loco in derelictam planiciem descendit; vixq; dimiserat se agmen, quum omnes tumultuariè effusi ad impedimẽta Mendocij diripiẽda conuolarũt: nec difficilis haud dubiè victoria Mendocio extitisset, si in eo

Caruaial in Lupum Mendocium.

temporis momento fuisset adortus. Verùm Caruaial tuba hostilis aduentus signum dedit, quo plærique ad signa rediêrunt, quanquam plurimi vel diripiendi ardore vel contexta diu fraude reuocari non possent. Multi enim Caruialẽ licet præstantissimæ virtutis & miræ fœlicitatis Ducem vehementer suspicerent, tamen, quòd etiam post claras victorias operamq; fortissimè ac fidelissimè nauatam milites pessimè accepisset, & stipendijs defraudasset, maximo odio dirum ingenium execrantes in eius cædem conspirarant; ipse etiam Secretorum Magister Petrus Vendanius, cui maximè semper confidebat Caruaial, & suam salutem omnes metuens commiserat (vti plærunque ij, qui iniquis Principibus intima familiaritate, & maxima fiduciæ præstandæ specie sunt coniuncti, infidissimi omnium, & primi ad eorum perniciem proditores reperiuntur) per Barbaros quospiam Hispanicæ linguæ gnaros Mendocio conspirationem detexerat, simulq; monuerat, vt proximã nocte castra aggrederetur. Erãt hæc in ea planicie, quam ab Mendocio relictam Caruaialem occupasse di-

Conspiratio in Caruaialem.

se diximus, quæ muro & portis etiam cinge batur, ad quas certas & maximè fidas stationes Caruaial collocarat. Ad has Mendocius, non dubiè occulta proditione fretus, densis iam altæ noctis tenebris cum equitibus peditibusq; subijt; ibi, magno tumultu incusso vehemens inter stationarios subarsit pugna, qui Mendocianos fideliter fortiterque exceptos, & vi introire moliuntes, vt aciei instruendæ spacium relinqueretur, constantissimè repellebāt. Primo statim tumultu, ac crepitantium Sclopettorum boatu totis castris currendo & armis expediundis vehementer tumultuatum est; excire alij iacentes proximos; alij, vt cuique virtus, fides, & arma in promptu erant, quo clamor ferebat, cursu ferri: nec inter coniuratos deerant, qui diffugiendo, & passim castrorum ab hoste captorum vlulatum circumferundo alijs animos deijcere, & ad celerem fugam impellere laborabant. Caruaial magnitudine periculi propè attonitus, & occultam ferè fraudem suspicans, sed animo satis intrepidus atq; cōstans, in quancunq; partem discursat, & nomine quenq; veteranum inuocans, monens, & cohortans

Mendocius castra Caruaialis noctu oppugnat.

hortans huc atque illuc fertur. Ibi cursantem clamantẽq; conspicatus Vendanius Sclopettario cuidam conspirationis socio demonstrat, & in eum elibrare globum iubet, qui ex obliquo tactũ in alterius clunis toro icit.

Caruaial ab suo Sclopettario vulneratur.

Caruaial, vt se læsum, nec id vulnus ab hoste profectum sensit, ne quem tumultum augeret, dolorem pressit; & tacitè cum isthoc Vendanio (de quo nulla suspicio in mentem venire poterat) seorsim se recipiens vile pallium ac galerum, vt coniuratos habitu falleret, induit, & ad pugnam reuertit. Vendanius alterum Sclopettarium impulit, vt in illum iacularetur; sed errante globo Caruaialem constantissimè fortuna defendit, vt destinatæ demum neci reseruaret. Ita Mendociani, vbi multum diuq; nequicquam penetrare tentassent, magno clamore et strepitu sese gerentes rogitantesq; nũ viueret Caruaial, quum non ore, sed telis ac læthalibus globis responderetur, oppugnatione demum destiterunt. Ab eo infœlici euentu plæraque equitũ pars, dum per noctem tutò liceret, aufugit; & partim prælio, partim fuga suorum Mẽdocius ad summam paucitatẽ redactus, ipse etiam

Mendociaurũ fuga.

fugæ

fugæ consilium cœpit, motúsq; castris ad amnem infra Poconem fluentem properè concessit; vbi Caruaial, qui celerantissimè vestigijs institerat, fatigatione, somno, ac languore sopitos vulneribusq; ægros consequutus est, & eo in loco Mendocium ac Petrum Heredium securi percussit: auxiliares verò, qui superstites erant, non modo in gratiã recepit, sed cunctis arma exuuiasq; reddidit, & Aloisium Perdomium Alphonsumq; Camargum, quòd defossum ab Centeno argenti aceruum commonstrassent, vita donauit: deinde Argyropolim reuersus, literas per Prouinciam de rebus gestis suis misit, & ab bellicis curis ad coaceruandas congerendasq; immensæ pecuniæ gazas animum studiaq; reiecit: ad quam rem ipsa quoque fortuna miram benignitatem auaro præbuit. Sunt enim per id tempus ad Potosium fodinæ per Rolandum Argyropolitanum repertæ, quæ argenti copia cæteris, quæ per vniuersam Prouinciam sunt, longè præstant; ad quas breui tãto fossorum numero est confluxum, vt multæ alibi sint desertæ, ab tantaq; hominum conuenientiũ multitudine eò omnia caritatis peruenerint,

Mendocij cædes.

Fodinæ ad Potosium repertæ.

uenerint, vt frumenti, quod Maytium ab incolis vocari libro primo diximus, modius viginti aureis; Cocæ verò herbæ, cuius itidē mirabilem naturam explicuimus, sacculus vix septuaginta florenis comparari posset. Ex his fodinis Caruaial vsq; adeo profundas diuitias breui hausit, vt breuissimo tempore nonningenta aureorum millia accumularit: qua tamen fortunæ amplitudine adduci non potuit, vt in milites equitésue, quorum opera tantis rerum successibus ēxcreuisset, vllam inexhaustæ opulentiæ partem erogaret. Propterea, multis ea ingratitudine concitatis, ab Aloisio Perdomio, & Alphonso Camargo, quos ab illo vita donatos fuisse modo diximus, & Didaco Luxanio alijsque ferè triginta in illum est coniuratum, facinusq; in certum diem destinarant, quo tum fortuito negocio impediti in alterum diem distulêre. Id spacium coniurationis indicium & salutem Caruaiali attulit: quapropter Principes Perdomium, Camargum, Orbanæum, & Balsametum articulatim discedit, reliquos æterno exilio addixit: & eius supplicij horrore omnes vsq; adeo conterruit & ēx-

Caruialis auaritia.

Altera in Caruialem coniuratio.

Crudele in coniuratos supplicium

& externatos reddidit, vt in posterum nemo eius facinoris quicquam auderet concipere; quando vel in suspicionem leuem duntaxat coniectis non minus, quã mortis supplicium, certissimè immineret; &, indicantibus mãximis præmijs propositis, omnes eodem metu ac silentio correpti, & vel fratres fratribus, ac proximi cognatione coniunctis diffidentes, odia in Tyrannum concepta cum animo supprimere, & ad commodiorem occasionem vindicandi flammeam cupidinem reseruare, nihil tutius cautiusq; iudicarent. Dum hæc apud Charcantes ab Caruaiale geruntur, bellumq; infælici Argyropolitanorũ rebellione excitatum opprimitur, non dissimili arridentis fortunæ euentu in agro Quitonico res omnis contentioq; tandem cruẽto fine Consaluo cõposita atque extincta fuit. Ille enim eo circiter tempore, quo in Centenum tendebat Caruaial, bellum adhuc cum Prorege integrum expeditè finiri cupiebat, tantisper nouandæ rebellionis caussas alijs atque alijs fore prospiciens, dum ille in terris superesset, pro quo ius belli stare videbatur, quo sublato facilè suaue ocium, & profundam imperij ac dignita-

dignitatis tranquillitatẽ se consequuturum sperabat, omnibus tum haud dubiè metu in suas partes transituris, quibus vita eius animos & spem ad Maiestatis tuendum nomen suggereret. Hac de re conspicatus profugio eius impeditum victoriæ plenæ cursum esse, fraudem ad illũ eliciendum excogitans (nam adhuc Popæanæ sedebat) famam vulgauit, se contrà Centeni motus in Charcantes profecturũ; deinde Petro Pulletio Quitoni cum trecẽtis præposito, vt contra Velam primos fines tueretur, & bellum inferentis primos impetus exciperet, ab Prouinciáq; retunderet, ipse cum delecto militum flore discessit. Ea res per subornatos delatores ad Velam celeriter defertur, & Pulletius Popæanam ad familiares quosdam scriptas literas, in quibus rem gestam declarabat, ita consultò mittebat, vt in Velæ manus deuenirent. His rebus ille adductus, quum, iampridem Ioannis Illanesij & fratris Nonnij casu intellecto, nullam alicunde opẽ speraret, simul Pulletij opprimendi auiditate raptus Popæana relicta Quitonem iter flexit, et ab ea duodecim tantum passuum millibus ad Ottaual-

Cõsalui ad Velam eliciendum astus.

Vela Popæanam egreditur & Quitonem iterum tendit.

lim

lim castra posuit. Tum Consaluus, rem pro voto obtinens, repentè Quitonem redijt, & magnum gestienti eius animo gaudiũ ac voluptas exarsit, quòd rem eò pertractam videret, quo cupiditatem perpetua sollicitudo verterat. Quid enim optatius fieri poterat insecuro, & nouos semper rebellionum odiorumq; in se consurgentium rumores audienti, & grauiora in dies expectanti, Cæsarisq; ante omnia sententiam metuenti, quam incertæ fortunæ ac liti colophonem prælio imponi, in quo, si vlla rerum gestarum & militũ ratione spes bellicæ æstimari possunt, certiora omnia sibi, quælibet iniquiora Velæ oc currebant? Quid tot victoriarum nomen, & inuictißimorum militum virtutem valitura in illum, quem toties acceptæ cladis, arreptæ fugæ conscientia deterreret, semilaceræ vires, imperiti Duces, pauci milites suis facerent penitus irridendum? parúmue ad continuanda virtutis cœpta, ad turpißimã accipiundæ ignominiæ labem vitandam futura æternis victoribus tot decora ante parta, tot adiuncta immensarum diuitiarũ incrementa, omnis deniq; desperatio deuictorũ

apud eum, qui ne ſuis quidem parcere, & ſanguineas manus ab benefacientibus tẽperare noſſet? iam verò in ſuum ſanguinem tantos appetitus hauiſſet, vt toties fugatus, fuſus, victus, elapſus, nudatus, ceſſare tamen neſciret, & indomitos adhuc ſpiritus gereret, malletq; ad vltimum vſque pereuntis vitæ halitum vniuerſam Prouinciam æternis diſcordijs ac ſeditionibus interturbare, quàm ſe gubernatorem pati, & Prouinciæ Præfecturam imperiumq; obeuntẽ ſuſtinere, quod ſibi, ſi ius reſpiceretur, ex fraterna inuentione, victoriaq; ſua etiam dextra ſemiparta deberetur. Talibus ſuggillationibus cum mirificam alacritatem Conſaluus ſuis omnibus iniecisſet, intelligens Velam ad amnem propinquum caſtris poſitis non duobus paſſuum millibus abeſſe, aciem eduxit. Equites erant centum triginta generis cataphracti, haſtati trecenti quinquaginta, Sclopettarij ducenti, quibus præerãt Ioannes Acoſtanus & Ioannes Vellæus Queuara, haſtatos ducebat Ferdinandus Baxicouus, non tam peritiæ militaris nomine, quàm inſigni crudelitate ſpectatus; equitibus aderant Pulletius & Gometius

Conſaluus in Velam.

tius Aluaradus. Ipse Consaluus cum septuaginta delectissimi roboris equitibus circa summum signum sese tenebat. Præter hos Duces illi etiam militabat Benitus Suuaretius Caruaial, qui iampridem ab eo ad mortis vsq; articulum, vti dictum est, adactus, in gratiam redierat, virtutisq; nomine ordinem ac præfecturam aliquot militum acceperat. Castra castris ita collata sunt, vt concurrentes velites iurgia telaq; inter se intersererent. Vela autẽ per exploratores certior factus, secreto anfractu hostes circumiri posse, eorum tergis insilire expectato constituit, & Barbarorum multitudine in castris relicta, qui ignibus faciũdis hostium oculos fallerent, eo tramite, de quo fuerat edoctus, intempesta nocte milites ducere pergit. Nec dubium erat, quin ad summæ rei victoriam id plurimum expediisset, quum Consaluiani dispersi & rari iacerent, & omnis tormentorum vis in castra Velæ vergeret; ipsi verò equites, qui ad terga iacebant, dissoluto vagãtes ordine, nihil quicquam ea in parte infestum aut hostile expectarent: sed callis, quò pergere instituerat Vela, solo frequente at-

Benitus Caruaial apud Consaluum militat.

tritum non planè subacto vsque adeò difficilem & impenetrabilem festinantibus præbuit, vt certam victoriam interpellarit, & illum oriente iam luce hosti ferè patescentem ad Quitonem petendam deflecteret, vt eos, quicunque Maiestatis nomen profiteri vellent, sibi adiungeret. Consaluiani autem antecursores ad castra hostium procursantes, vbi silentio animaduerso intrare non dubitarunt, ab Barbaris, quid gestum esset, edocti, rem ad Consaluum detulerunt. Is, vbi Quitonem Velam iter flexisse audiuit, subitò eôdem properat, vt quamprimum quocunque in loco versaretur, prælio decertaret. Tum quoque Vela eò loci redactus, vnde nullo modo fugere posset, partim necessitate, partim suopte desiderio ad prælium animatus, ita ordinata acie excessit, vt equitatum Alphonsus Montemaior, Aluarus, atque Basanius in hostes ducerent, Sanchæus verò Abilanus, Franciscus Giro ac Rodericus Bouila, Ioannesq; Cabrerius, clarissimi & manu prompti Duces, & in quibus nihil præter fortunam desiderabatur, cum pedita tu sequerentur. Ipsum Velam, qui eo die supremam

Vela Quitonem venit.

premam & in acie, & ante aciem virtutis diligentiaq; operam edidit, gossypino paludamento indutum, cui per secturas thorax aureis peniculamentis fimbriatus eminebat, spadix & vehemens vehebat equus; & quanquam ferè omnes plurimum rogarẽt, vt extra aciem cum equitibus aliquot consisteret, extremam allaturus opem, quò labor periculumq; inclinaret, primæ tamen pugnæ interesse voluit: cumq; intra teli ferè iactum peruentum esset, ad proximos conuersus, Adest, viri, inquit, optatum tempus, quod terminatis dissidijs, imperium alterutri assignabit; nunc, quando eos ego in frontibus vestris animos deprehendã, vt meo quoq; animo magnus exinde cumulus accedat, id modo restat, vt caussæ æquitatẽ, & Deum pro vobis stare, & vel iniqua sorte morientibus etiã post fata gloriam, vel longè victoribus hostibus clariorem, nõ defuturam memores sitis: quæ vixdum fatus Busanio & Montemaiore ante tendentibus, concitato equo in aduersum cornu alacriter procurrit, nec Consaluiani equites Benito Caruaiale cohortante diu contimere se potuerũt, quin & ipsi effusis habenis

Velæ diligentia & audacia.

Pugna ad Quionem.

bentis incurrerent. Ita feruido inchoata principio pugna breui ad ſummum ardorem proceſſit; & ipſe Conſaluus perlibenter primis adeſſe cupiuerat, vt omnia diligentius curaret, & præſentem ſe ſui, ad ſperatæ mercedis, & ob id animorum incrementum in conſpectu haberent: ſed Duces ad latus cum equitibus aliquot ſpectatorem conſiſtere iuſſerant, vt feſſis aut perculſis parato ſubſidio in tempore adeſſet, ac recentibus integriſque fatigatos hoſtes exciperet. Vbi læ impetum Sclopettariorum manipulus, ab Conſaluo ad eum euentum peropportunè equitibus adiunctus, maximè infregit, qui equites magno incurſu inuectos excipiens, diſploſis repentè omnibus Sclopettis, frontem glandibus ita perculit, vt primis proſtratis ſequentes puluere, fumo, crepitu, & ſuorum etiã cadaueribus impediti, oculorum auriũq; vſu amiſſo, cõſternatos & anhelantes equos vix regere poſſent, & plurimum ad inuadendũ hoſtẽ tardarẽtur. In ea rerũ difficultate ſuo & equorum robore per omnia aſpera & confertiſſimos perrumpendo ab multis adſignæ penetratum eſt, cruentiſſimumque eabri-

abripere ac lacerare conantiũ defendentium-
que certamen exarsit. Ipse Vela testatus il-
lum diem, illam aciem fore & tot cladium
vindicem, & laborum finem, præmiorumque
initium, impigerrimè depugnando munia for-
tissimi militis audacter capessebat, Mõtal-
phoq; quodam sua manu deturbato, acriorem
sensim pugnam cæde calidus petebat, atque
ibi ferocissimè dimicantẽ, nec sibi quicquam
parcentem Ferdinandus Torræus graui as-
cia vi tanta in caput incussit, vt ectasi corre
ptus, sicut nocturno diurnoque labore viri-
bus exhaustis tanti verberis vehementiæ su
stinendæ impar erat, ex equo humi moribun
dus deflueret. Tum, si vnquam, acerrimè pu
gnatum fuit, quum, Vela strato, certam sibi
victoriam ducerent Consaluiani; alteri verò
corporibus oppositis deiectum erigere ac tue-
ri, aut in eo vltimo vitæ actu supremum
bellicæ virtutis opus cruentissima morte
laboreque Duci fideliter præstare vellent.
Idem pugnandi feruor apud pedites ver-
sabatur, & ante hos destrictam romphæam
manu vibrãs inusitatæ virtutis Sanchæus
lata obuiorum cæde limitem agebat; dumq;

Vela moribundus ex equo dejicitur.

Sanchæi virtus.

grauissimam dextram subire nemo audet, ad mediam aciem mactando trux peruenit, vbi cum suis paucis circumuentus, & multis vndique cædentium vulneribus auersis, aduersisq; confossus, non inultè in faciem procubuit; pariq; fere euentu in ipso aggressu cecidit Cabrerius. Tunc Consaluanorum clamore & alacritate vociferantium, & intolerabili pondere incumbentium impetus clamorque, nec auribus nec corporibus sustentari potuit; tum cæsis pugnacissimis quibusq;, qui vel inter pedites, vel inter equites infracti immobilesq; constiterant; tũ, impulsa ac turbata cætera acie, ipse Velæ capite detruncato in eo tumultu interfectus est, & reliqui dispalati terga repentè verterunt, Consaluianis, qui se ad insequendum dissolutis ordinibus effuderant, fugientes etiam prout aut turba, aut armorum cadauerumq; aceruis impeditos consequi poterant, interficiẽtibus; perijssentq; plures, ni tuba suos etiam diffusos Consaluus ad signa reuocasset. Cecidere ex Velanis amplius ducenti, quum non plures, quàm septem, Consaluus desideraret, interq; hos magnæ virtutis cẽturiones, qui, vt

Velæ caput truncatur.
Velanorũ fuga.

se, ac

se, ac stirpe nobili, anteactaq; militia dignum fuerat, ab suis deserti, dum præfracta statione pugnaque mortem petunt, inter media tela gloriose procubuerant. Pauci etiam, qui vel fuga euaserunt, milites Ducésue integri, plærique saucij discessêre, inter quos fuerunt Aluarus Ephorus, & Ioannes Benalcazar, qui primum, vt libro primo demonstratum est, Quitonem in Hispanorum potestatem redegerat, ac nunc auxilio Velæ accesserat; quos Pizarrus omnes, præter Benalcazarem, luce priuare statuerat, & cum turba deprecantium crudelitatem moraretur, clam veneno tollere tentauit: sed Gometij Aluaradi summa cura est factum, vt id caueretur, quanquam Aluarus, qui apud Cepedam in custodia tenebatur, mortem effugere non potuit, quem omnium opinione certum est amygdalina pulte veneno condita interijsse. Benalcazarem Consaluus in suam Prouinciam, quæ supra Quitonem erat, remisit, Alphonsum autem Montemaiorem, & Rodoricum Bouillam perpetuo exilio mulctatos, ad Chiliacos amandauit; sed illi, capto ductore Antonio Vlloa, nauem na-

Aluarus Ephorus veneno sublatus.

cti ad Mexicanos profugêre. Post prælium Consaluus conuocat, quicunque ex hostibus capti erant, et his exposita declarataque vindictæ emeritæ, quam de ipsis victor sumere posset, æquitate, ostendit, non se iure seueritatis vsurum, quando sibi optimè fuerit exploratum ipsos nõ proprio crimine, sed multorum fraude vicioque in suum odium esse vocatos: idcirco prætermissa sceleris admissi pœna, depositaq; iniuriæ memoria, se ipsos singulari quadam lenitate non modo in gratiam recepturum, verùm non minoribus perpetuæ benignitatis officijs prosequuturũ, quàm eos, qui sua signa sequuti, eo die pro sua salute dignitateque fortissimè fideliſsimeque depugnassent, si longi odij magnitudinem maiore gratitudinis fiduciæque vsura non inuita Minerua sarcirent. Ab ea oratione reddidit erepta, & graui edicto vetuit, ne quid contumeliosè in ipsos diceretur: quibus rebus curatis, literas de victoria hac (quæ anni quadragesimi sexti mense Ianuario parta est) in omnes partes misit, & Alarconem cum myoparone Panamaidem ad Hinosam ablegauit, partim vt victoriæ

Consalui in captiuos Velasos insolita humanitas.

Consaluus Nonnium Velæ fratrẽ ingratiam recipit.

ctoriæ ferret nuncium, partim vt Velam Nonnium Proregis fratrem cum filio notho adduceret. Huic ad se tandem adducto, similem clementiam Consaluus indulsit, grauissimè etiam interminatus, vt quàm posset diligentissimè, vel ab omni suspicione sibi caueret, quam illi confestim vltimo malo futuram adiurabat. Misit inde varias in partes ac loca cum militibus Duces, eo maximè consilio, vt, si ab Cæsare contra se pronunciaretur, vi dignitatem imperiumque assumptum obtineret; cuius dulcedine degustata tot victorijs partis insolens vltimum fortunarum ac vitæ discrimen prius subire, quàm Præfectura discedere, in intumescentem animum induxerat. Ab eo enim inde tempore, à quo Cuscone ad imperium prouectus fuerat, omnium cogitationum cœptorumq; cursum occulto conceptu eò direxit, vt Maiestatis nomen sensim extingueret, eos qui illud tueri vellent, profligaret, & se paulatim attolleret, ac demum per occasionem ad summum imperium, vti fecit, insinuaret. Nunc autẽ, debellato cæsoq; Vela, & per Caruaialẽ

Centeni

Centeni nomine deleto, eoq; bipartitarum victoriarum fulmine ijs, quibus aliqua audendi quidda mens restaret, perculsis, ita sub sui dominatus iugũ vniuersam Prouincã compressam confidebat, vt nemo in posterum exurgere, nouis rebus studêre, adeoq; ne obmutire sibi quidẽ ausurus esset; & si Cæsar noua constitutione, alteriusue Præfecti missione sibi quid vellet, nominis ac rerũ gestarum terrore, Isthmo etiam & Terra firma Prouincijs per suos Duces occupatis, se nullo negocio impediturum confideret. Nec (si quicquam humanæ cõiecturæ certũ est) procul dubio spes opinioq; cõcepta fefellisset, si, quorum dextris vtueret memor, milites charitate ac studio, liberalitate gratitudineq; deuinxisset; verũ omni impietate superbiaq; imbutus, dũ sese eò insolentiæ imprudens demittit, vt stipendia detrahendo & merita virtute præmia derogando, memoriam eorum insurgẽti animo excutit, quorum opera ad eam dignitatis ac fortunæ amplitudinem peruenisset, fato trahente, & debitas infandæ immanitati pœnas Superis festinantibus, sese frustratum deceptũq; extremo in termino sensit.

Stulta Consalui spes & opinio.

sit. Peractis Quitone aliquot mensibus, vbi sobriè oĩa cõstituisset, relicto hic cũ trecentis Petro Pulletio, cuius fidei imprimis confidebat, Regiũ abscessit, fœliciq; profectione aduenientẽ Laurentius Aldanius cũ ciuitate honorificè excepit, atq; in vrbẽ induxit, Principibus equũ fræno ducẽtibus, et magno tubarũ tympanorũq; præcinẽte concentu: vbi, cũ suam ipse fortunã nõ caperet, multa in dies instituit, quæ euidẽtissimis superbia atq; tumore turgidũ pectus signis aperuêre: euntem Tyrannorũ more octoginta satellites præibant, superbè spectantium turbam dimouentes, assurgere prætereunti vel ignorantia, qui prætermisset, in magno periculo erant, nemo in conspectu præsentis sedere, nemo vertícem operire poterat, & multa id genus alia in singulos dies proteruia audaciaq; fiebant, quæ C. Cæsari post deuictũ Pompeium maximo victori inuidiam, & necẽ conciliasse traduntur, huic non fæliciorem euentum paratura.

Consaluus Regium redit et magnifice inducitur.

FINIS.

Θεὸς τὸ θέος.

Mittitur in Peruuiam ad res constituendas Petrus Gasca, regij Concilij Præses, qui primum, summo Ferdinandi Mexiæ adiumento Hinosa ad se traducto, Consalui classe & toto Isthmo potitur; cuius aduentu percepto Consaluus, plurimum cum suis perturbatus, legatos tandem ex communi consilio ad Cæsarem destinat Laurentiũ Aldanũ, ac plæroſq; alios, vt eidẽ vniuersum Prouinciæ statum ac Velæ imprimis mortẽ exponeret: verũ Aldanius, vbi Panamaidem, venit, sese Præsidi adiunxit, & ab eodem cum classicula ad portum Reginum occupãdum, hominesq; ad defectionem sollicitandos, & spargẽda regiæ remissionis diplomata mittitur: qua re cognita Consaluus bellum parat, Caruajalem è Charcantibus arcessit, & Regij recenset milites; sed vbi Aldanius in portum venit, & remissionum diplomata innotuêre, varia militum Ducumq; transfugia, & variæ ob id

ob id cædes ac lanienæ sunt subortæ, coactusq; est demũ ad transfugia impedienda Regio discedere, atque inde in Centenum conuersus, qui ex antro rursum emersus Alphonsi Hinosæ opera Cusconem occuparat, & Alphonsum Mendocium Argyropolis Præfectum ad se traduxerat, eum ingenti prælio Caruaialis maximè arte fundit & fugat. Præses interea Gasca in Peruuiam venit; tandémque, castris ad Saquissauanam positis, Consaluus vndique ab suis desertus, & Caruaial cum plærisque Ducibus capiuntur, atque diuersis supplicijs, ille capite plexus, hic articulatim dissectus, interficiuntur, quorum morte pacata Prouincia Præses Panamaidem, atque inde in Hispaniam traiecit, & Palentinum Præsulatum paulò post adeptus est.

LEVI-

LEVINI APOLLONII GANDOBRVGANI MITTELBVRGENSIS DE REBVS IN PERVVIA GESTIS.

LIBER V.

HÆc rerum tempestas atque ægritudo cùm esset, Cæsar interim per Franciscum Maldonatum & Didacũ Cutum (quos in Hispaniam traiecisse, & in Germaniam inde veredarijs equis properasse diximus) de statu Prouinciæ erat edoctus; verũ præsentium negociorum ad religionem pertinentium difficultate factum est, quòd Peruuinarum rerum cura aliquandiu sepositа sit atque dilata. Nam hæc ferè incidêre in id tempus, quo Cæsar in Germania aduersus Lutheranos bellum cudebat, in quo postea Ioannes Fredericus Saxoniæ Dux, & Philippus Catthorum Princeps Lãtgrauius debellati, accapti sunt. Tandẽ visum fuit Petrum Gascam sacrato Ordini initiatũ mitti, cuius industria multis in negocijs spectata, &

ta, & in alijs cauſsis adminiſtrandis pruden tia cognita, virtus etiam in re militari exPetrus Gaſca præſes in Peruuiã mittitur.
plorata fuerat. Hic Præſes regij Concilij titulum gerebat, & de omnibus rebus agendi, nouationes atque abuſus abrogandi, & milites etiam conſcribendi authoritatem habebat. Verùm quanquam in eo bellicus vigor non deſideraretur, tamen ea æquitate moderationeq́, pacifici animi rationem condierat, vt longe auidius omnis quietis conſilia amplecteretur, & ijs maximè in pacanda Prouincia vti conſtituiſſet, penitusq́, ab cruentis belli tumultibus, niſi ſecus vltima neceſsitas poſtularet, abhorreret. Is anni quadrageſimi ſexti, quo ad Quitonem pugnatũ fuit, menſe Maio Martham appulit (id Theonymæ vicinum eſt) vbi pulſum ab Hinoſanis Melchiorem Verdugũ Carthaginenſi in portu ſe expectare cognouit; verũ metuens, ne ſi hunc ſibi adiungeret, ſui quoque odiũ Verdugi cauſſa apud Hinoſanos concitaret, recta Theonymam illo relicto contendit, iuſſitq́, ad explorandos hominum animos Alphonſum Aluaradum in littus excẽdere, qui cum Ferdinando Mexia vrbis Præfecto col

loquutus, Præsidis aduentum, aduentusque causſam expoſuit: ſed nullo certo acceptore-ſponſo, quum neuter alteri permultum conſi deret, diſceſſit. Tum verò Mexia, altius re conſiderata perfectiusq; cognita, lembo obuiam Gaſcæ tendit, & demum in ipſius nauigium inſiliens, familiariter complexus eſt, honorificeq; in littus, ac deinde ad vrbẽ perduxit: quæres veluti Conſaluianæ ruinæ ianua, & quòd Præſes rem obtinuerit, cauſſa fuit. Inde inter ſecretos ſermones tum Gaſcarem omnem & ſui aduentus cauſſam, & Cæſaris voluntatem luculentius enarraret, & ſibi demandatæ poteſtatis diplomata oſtentaret, Mexia omnem profundæ ſimulationis nubem diſiecit, & ſe in Maieſtatis ipſiusque ſeruitium ac nutum redire profeſſus eſt; & ſi extemplò bellum indicendum, armataque exeundum manu putaret, operam ſuam, & quoſcunque ſuis ſub ſignis haberet milites, dedicat; ac docet, ſi Panamaidem quampri-mum tenderet, nullo labore vniuerſam claſſem Conſalui in poteſtatem redacturũ, quando ſat ſciret conſideretque, expoſita ipſius aduentus ratione, ipſum Hinoſam nulla aſſen-

Gaſca ab Mexia recipitur Theonymæ.

assensurum mora, in partesq; transiturum. His Gasca magnopere gratias agens, longè diuersam sibi propositã viã, & ingrediundã esse ostendit, eam verò Cæsaris mentem, vt modestia temperantiaque exitiosas dissidiorum pestes excindat, & miserabili Prouinciæ inhærentium tumultuum tela euellat, non vt noua maiorum discordiarum concitatione Rempub. labefactatam & inclinantem in certæ ruinæ exitium impellat. Nam, quum ex immoderata Velæ Proregis seueritate vniuersam malorũ tempestatẽ in Prouinciam effusam constaret, non insulsa de caussa Cæsarem moderati ponderatoris Iudicisq; temperantiam respexisse: quamobrẽ magnam sibi spem affulgere, vulgata Cæsaris voluntate, singularem obtemperandi atque in Maiestatis nomen redeundi alacritatem, promptitudinemq; omnibus accessuram. Ad hæc facilè consentientem Mexiam Panamam dem proficisci iussit, vt Hinosæ rem exponeret, qui ad primam recepti Præsidis famam non leuiter Mexiæ succensebat, quod nondum authoritatem & causssas aduentus ipsius exploratas haberet, & in illo recipien

Hinosa Mexiæ cur succensuerit.

do suam voluntatem Mexia haud quaquam consuluisset, multiq; ob id prædicabant, vbi primum Panamaidem peruenisset, ingens salutis subiturum discrimen: quibus tamẽ terriculis Mexia ab ea profectione detineri non potuit, partim vetere Hinosæ amicitia ac necessitudine fretus, partim clementis ipsius ingenij, & satis in Cæsareum nomen propensi spe subnixus, quæ venienti, & negocium omnẽ commemoranti, ac sese etiam purganti omnia faciliora apud Hinosam effecit. Theonymam reuersus Mexia, quum satis prospera renunciaret, animumque Ducis ad ipsius accessum egregia oratione præparatum ostenderet, Gasca Panamaidem peruenit; vbi, incredibile dictu, quanto perè non Hinosam modo, sed reliquos Duces etiam, & ipsos milites pacatissimi animi moderatione se digna seueritate condita, ac vultu inter serenitatem ac grauitatem temperato, colloquij etiam facilitate comitateq;, veluti tantarũ virtutum stupore perculsos, in se rapuerit ac transformarit. At, postquam de Præsidis aduentu Regium fama peruenit, magna repentè conturbatio Consaluum, cæterosq; Duces

Gasca Panamaidem peruenit.

ces occupauit; contrà verò apud hos tacita spes ac lætitia residebat, qui pio in Maiestatis nomen affectu imbuti, in eo tamen dominatu Tyrannorum eundem altè suppressum reconditumq; continere coacti fuerant. Nec mora, Consaluus cum Ducibus, quid facto opus sit, grauissimè deliberat, quorum sententiæ turbatissimè variabant: multi vel palam vel clam ad tollendum hominem mittendos censebant; alij in Prouinciam adducendum iudicabant, tum vel posse quidlibet ab eodem facillimè impetrari; sin id quoque diuersum cederet, longa prorogatione posse distineri per speciem habendi conuentus ciuitatum ad ipsum recipiendum, & hūc propter vrbium disiunctionem, atque interuallum mutuum consulto vel in biennium distrahi posse, ipsum interea, adhibito fido militum præsidio, Pugnæ insulæ imponendum, & ea ratione Cæsari de aliquo motu ac rebellione facta expostulandi locum nō fore; quando celerius ciuitates, longissimis inter se spacijs dissitæ, ad conuentum venire non posse viderentur: alij in Hispaniam relegandum censebant; & hoc demum cōsensum est,

Consaluū ob Præsidis aduentum angor.

vt ad Cæsarem maximæ authoritatis viri mitterentur, qui, exquisita narratione vniuersa totius rei gestæ serie exposita, accurateq; sui purgatione facta, & omni tumultus suborti culpa in Velæ Barbariem coniecta, vniuersæ Prouinciæ nomine illum obsecrarent, vt Consaluo præfecturam, quã obtineret, relinquere non grauaretur; ijdem etiam Præsidem Gascam in itinere adorirentur, & ne Prouinciæ pedem antè inferret, monerent, quã Cæsaris voluntas ea legatione adamussim explorata fuisset; sin is minus parêre vellet, custoditum Regium perducerẽt: multi suadebant etiam, vt in itinere interficerent. Ad id munus deliguntur Hieronymus Lausanus Reginus Præsul, Laurentius Aldanius, & Thomas Prædicatoriorũ Princeps, qui plurimum apud omnes facundia valebat. Hi dum ad iter res suas componunt, Aldanius nauigio instructo (quem maximè properare, & primos sibi nuncios significare iusserat Consaluus) Panamaidem nauigauit, quẽ paulò post reliqui sunt sequuti. Hoc tempore tantum fidei apud Consaluum contraxerat Nonnius Velæ frater, vt in libera

Legati ab Consaluo ad Cæsarem destinantur.

bera custodia habito venatum exire liceret, nunc infortunatus miſero casus accidit, qui in exitium traxit. Ioannes Torræus in lacuna quapiã (vbi Barbarorũ idolũ adorabatur) inuẽto auri põdere, cuius preciũ octogin ta aureorũ millia superabat, præter magnũ torcoſiorũ ac ſmaragdorũ numerũ locuples factus, in ſacra omologeſi Minoritarum Cœnobiarchæ, apud quem theſaurum depoſuerat, aliquando indicauit, permagnum ſibi reuiſendæ Hiſpaniæ deſiderium eſſe, vt cum amicis neceſſarijs q; iſthic familiariter ſuauiterq; conuiuendo, verum beneuolæ fortunæ fructum perciperet; ſed quum ſibi ob perpetuam Conſaluianæ factionis ſocietatem vſq; adeo grauiter offenſa Maieſtate, ne in pœnam incurreret, metuens, in Hiſpaniã prius reuerti vereretur, quam id delictum contrario forti aliquo facinore diluiſſet, ſibi ſtatutum vnà cum theſauro Nicaragnam profugere; ac tum, contractis iſthic militibus aliquot, nauigijs q; duobus inſtructis, ad loca immunitiora aſſultus facere, & Conſaluianis ſubuectionibus moleſtias exhibere; verum quãdo ad eius rei aditũ conſequendũ nec ac-

commodam ætatem, nec authoritatem haberet, velle perlibẽter digni nominis & spectatæ virtutis quendam asciscere, nec huic negocio videri appositiorem quenquã ipso Nonnio, quem egregio animi corporisq; vigore, & non exigua militiæ peritia præditũ, cùm infinitæ illatarum iniuriarum afflictiones, tum fratris amantissimi miseranda mors ad vberrimam vltionis rapiundæ occasionem iure concitarent: qui si ad pulcherrimum facinus perpetrandum virtuti audaciæq; deesse non vellet, paratum se obsequio seruitioq; eius, vel ad mortem, atque hunc illi sanguinem suum ac vitam deuouere, et eam in rem sacramentum daturum: quamobrem precabatur cœnobiarcham, vt ipse propositum animi sui ad Velam deferret. Id cum Minorita haud grauatè fecisset, Nonnius ei iure diffidẽs, quem in præcipuis Consaluianorũ fuisse sciebat, primum ad periculosissimæ rei assensum adduci nolebat; sed vbi solidum iureiurando sacramentum ante aras præstitit, dubitabundus negocium tamen suscepit; & multos cùm inter se sermones sererent, ac conciliabula inter notos & familiares agerent,

odor

odor eius rei ad Conſaluum peruenit. Ita captus eſt Nonnius, & publicè non ſine maximo omnium luctu iugulatus. Sub id etiam tempus Cuſcone Alphonſus Torus ab ſocero inter iurgia transfoſſus eſt, ſucceſſitq; illi Alphonſus Hinoſa, non hic Iſthmi Præfectus, de quo hactenus loquuti ſumus, qui paulò pòſt ſeditionem ſubortam compeſcuit, Lupo Sanchæo Didacoq; Beſerrio authoribus interfectis. Interea Aldanius, quem à Conſaluo ante cæteros legatos præmiſſum fuiſſe diximus, Panamaidem venit, ſtatimq; literas Pizarri ad Præſidem ſatis contumelioſas & aſperas, ne in ipſis principijs tanti momenti res inanibus ſcriptorum conuiciorumque muliebrium nugis offenderetur, diſcidit atque concerpſit, exceptusq; ab Hinoſa ipſo familiariſſimè, cum quo honeſtatis atque clementis ingenij ſimilitudine conflata neceſſitudo diuturna ſibi interceſſerat, paucos poſt dies ad ſalutandum Præſidem Gaſcam acceſſit; iamq; fidei declarandæ tempus adeſſe conſpicatus, quam temporum neceſſitate ſuppreſſerat, nulla rerum mandatarum illata mentione, Cæſareo nomini ſeſe addixit, atq; ita

Nonnius Vela Velæ Proregis frater iugulatur.

Alphonſus Torus Cuſcone confoſſus.

Laurētius Aldanius ab Conſaluo ad Præſidem tranſit.

ita Legatio instituta penitus interrupta est: & reliqui ferè Cõsalui Duces, qui adhuc incerti nutabant, vt ab tanti viri defectione sibi consulendi exemplum caperent, sunt perpulsi. Tum quoque cum Hinosa, qui nondum penitus Consaluo mẽtem operamq; renunciarat, audacius liberiusq; res agi cœpta est, & priuatim Ferdinandus Mexia in aures plurima susurrando præsentem rerum statum, miserabilem Prouinciæ habitum, calamitatum multitudinem, molemq; secum conferre, cum animoq; diligenter metiri iubebat, adesse Præsidem ab Cæsare missum non alia ratione, quã vt maturrimi remedij præsidium deformatæ & oppressæ Reipub. afferret, Tyrannidem euerteret, & vel vltimam dissidij ac contentionis scintillam extingueret, &, quodcunque vel audacia, vel inter publicam conturbationem negligentia mali noxijque obrepsisset, fideliter emendaret: cuius negocij institutum opus sua facultate atque virili prouehere, ipsius esse officij, qui perpetuam honestatis ac priuatæ existimationis curam optima mente prudentissimè in consiliũ adhibuisset, quæ in non dubium cum ipsa vita & fa-

& facultatibus omnibus periculum acceſsi, ſi præſentiſsimam releuandæ Prouinciæ & fidei ac voluntatis erga Maieſtatem declarandæ opportunitatem non alias rectius offerendam aut prætermitteret, aut trepidando differret. Ad ea reſpondit Hinoſa, ſe Præſidi inſtitutiſq; eius negocijs non honeſtiſsimè modò cupere, ſed haud ſemel ſuæ in eum inclinationis propenſioniſq; indicia demonſtraſſe, nec vllam tranſeundi moram facturum, ſimulac conſpecta Conſalui poſtulatione nihil firmius pro illo ſtatuens Cæſar ſaluam ſibi ad eam rem perficiundam nominis honoriſq; ſui rationem feciſſet. Re vera enim Hinoſa, vti non multum belli peritus erat, & ingenio ſimplex candidusq;, quicquid inſtitutum, quicquid geſtum patratumq; ab Conſaluo fuerat, legitimè ſanctéq; factũ opinione conceperat; quando Pizarri poſtulationem etiam doctorum & ſacrorum virorum ſuffragijs approbatam fuiſſe meminiſſet. Mexia, imperitæ mentis morbũ ſubſentiens, nihil quicquam aliud reſponſi ſtatutiue ab Cæſare expectandum declararat; omnes verò vſque adeò ardenter ſtudia ſua in Præſidem reie-

reuecisse, vt nihil ab eo imperatum recusatu ri essent; proin ne se insulsa persuasione delu sum deceptumq; teneret, eò quòd doctorum etiam virorum suffragia Pizarri postulata approbassent, quando valente Tyrannide oppressam veritatem, ereptam libertatem, & omnes vno eodemq; assentandi secundæ fortunæ studio isthic perfusos constaret. His rationibus victus Hinosa postridie ad Præsidis ædes ingressus Maiestati, sacramento legitimè adhibito, nomen dedit; dein vocati intus reliqui Duces promptissimè idem fecêre, sed clam, vt ad destinatum tempus silẽtissimè res acta supprimeretur; quanquam ex frequenti ingressu egressuq; nasutis suspicionem subolescere non difficilè esset. Gasca tanto successu omnia vt se pro votis consequutum vidit, omnem porrò moram fore perniciosam ratus, bellum occupare statuit, vt expedita celeritate paratiora sibi omnia, hosti verò imparatiora impeditioraque redderet. Ante omnia Laurentium Aldanium cũ quatuor myoparonibus accelerare ad Reginum portum iubet, vt ea re Consaluo omnis rei maritimæ facultatem intercluderet,

Hinosa ad præsidem ab Consaluo deficit.

Aldanius ad Reginũ portum occupandum mittitur.

simul-

simulq; eos, qui piè in Maiestatem affecti essent, cõmodius ad se reciperet, & cæteros etiã, qui in Consalui adhuc fide erant, ostẽtatis donandæ pœnitentibus rebellionis admissæ remissionis diplomatibus, ad se deficiendum deserendumq; Pizarrum solicitaret. Huic adiungit Ferdinandum Mexiam & Ioannem Ilanesium; totius autem classis præfecturam, vti antè gerebat, Hinosæ relinquit, & in militibus recensendis cum ad ipsum signa deferrentur, sua quibusq; significeris permisit, ea humanitate omnes arctissimo quodam amore atque appetitu sibi, summo autem odio inuidiaque Tyrannidis infrænis memores Consaluo obstringens: dehinc Ioannem Mendocium ad Mexicanæ Prouinciæ Proregem Alphonsum Mendocium, aliosq; passim ad vicinos præfectos Vatimaliam ac Nicaragnam ad auxilia adducenda mittit. Paulò antè cum suis eisq; literis, quas Cæsar ad Consaluum perscripserat, Ferdinandum Pauiagnum ad Pizarrum miserat, quem Tumbæo Michaëliam peruenientem Consaluianus Prætor Vilalopus cœpit, literasq; ademptas ad Didacum Morã Tru

gilla-

Cæsaris ad Consaluum literæ.

gillanum Præfectum, & is ad Consaluum misit. Cæsaris literæ in hanc sententiã perscriptæ erant. Consalue Pizarre, ex tuis literis & multorum sermone intellexi, quid isthic interea nouatum sit, ex quo Velæ Proregiæ dignitate à nobis affectus in Prouinciam cum decretis nostris appulerit, vt his exequendis publicæ vtilitati consuleretur. Facilè adducor vt credam, abs te nobis repugnandi consilio nihil quicquam esse factum; sed Velæ seueritatis vitandæ gratia, qui nulla postulatione admissa summum ius prosequi instituerat: quamobrem Franciscus Maldonatus legatus tuus, quæ vel tuo vel reliquorum nomine retulit, benignis & æquis auribus satis accepta sunt, nobisque subinde ad omnem discordiarum eruendam radicem, liberandamque tristissimis ærumnis Prouinciam Petrum Gascam mittere, & eum præstare visum fuit, quicquid diuinæ gloriæ laudatum, nostræ existimationi commodum, vniuersæ Prouinciæ indigenisque vtile ac salutare iudicaret: proin ea in re id tu obsequij officijque illi exhibeto, quod mihi

mihi exhibendum putares, opemque quam potes confer; vti te facturum confido, ita mihi Franciſciſci fratris tui memoria inuiolata manebit, in te ac reliquam Pizarrinam poſteritatem vberrimis priuilegiorum compendijs redundabit. His literis priuatam epiſtolam ad Conſaluum Gaſca adiunxerat, prolixæ & maximè piæ admonitionis plenam, vti haud difficile fuit viro omnis ſcientiæ facundiæque gnaro valentiſsimas ad permouendam mentem artes adferre. Pizarrus vtranque clam habuit, ſed Pauiagnum, quem cum his miſſum diximus, adduci per fidum quendam ſeruum iubet, adductoque nihil periculi eſſe docet, ſi nulli præterquam ferendis epiſtolis alteri curæ ſe immiſcuiſſet; ſin aut clam aut palam ad concitandos homines quidpiam faciundo demandati negotij ſepta fuiſſet tranſgreſſus, nihil tam exiguum fore, quin illi quamprimum capitale cederet. Pauiagnus impauidè ſuam cauſſam egit, iuſſusque deinde faceſſere vbi ſeceſſit, ibi certè conſultatum etiam fuit de iure gentium violando, quanquam Conſaluus id

Ferdinandi Pauiagni periculum.

omni-

omnino inuiolatum sibi perpetuò fore testaretur. Verũ Præsidis diuulgato aduentu vehementer suadebãt Consaluiani Duces, Præsidem nullo modo intra Prouinciæ limites recipiendum, plurimi, ne Deos ferè quidem existimantes è suis manibus tyrannidem atque imperium posse extorquere, Cæsarem multo irrisu illudebãt, quod ad priuati hominis & nulla virtute cogniti imperium atque obsequium indignissimè se retecisset, qui vniuersam Prouinciam in nutu manuq; cõtinerent. Verũ Consaluus in vnicam bellici apparatus curam animum intendens, ad Caruaialem scribit, vt cum omnibus ijs, quos adducere posset, properè ad se veniret; ipse Regij solertissimè aduersus omnem motum vigilias instruere cœpit, & Saratem imprimis lecto decumbentem toxico tollendum curauit, quem ante alios suspectum habebat. Petrum Pulletium per literas monet, vt omnem vigilando diligentiam adhiberet, delectuque bello idoneos præriperet, ne conscripturis hostibus cederent. Caruaial autem post animum Pizarri intellectum accelerans, breui aduênit, adduxitq; amplius milites quadringentos,

Consaluianorum confidentia & superbia.

Caruaial ab Consaluo reuocatus è Charcantibus Regiũ redit.

Sarates veneno tollitur.

tos, & octoginta Carolinorum millia, venientemq; egressus ipse Consaluus cum procerum turba lætissimè & honorificentissimè excepit. Interea Laurentius Aldanius Panamaide cum quatuor myoparonibus digressus, non procul Trugillo Malabrigam appulsus est; nec quicquam adhuc de Ducum suorũ defectione Consaluus perceperat, quanquam in ambigua suspicione eò versaretur, quòd ab Hinosa nihil amplius literarũ nunciorumq; acciperet. De his nauigijs Didacus Mora Trugilli Præfectus vbi percepit, quod multis literis interceptis, quicquid Panamaide gestum erat, quanquam non plenè, cognouisset, ipse instruit celocem, & eodem proficiscitur, eo consilio, vt si Consaluianas naues esse aduerteret, ipse commeatus adferendi explorandiq; caussa aduenisse videretur, sin Præsidis cõspiceret, tum, quod destinarat, his sese adiungeret: atque ita accidit, vt eodem, quo portu excessit die Aldanius venienti occurreret; quapropter consalutatione facta suum etiam nauigium Mora adiunxit, & largo commeatu reliqua instruxit. Ibi ad excitandos homines minuen-

Didacus Mora Trugilli Præfectus cauti de ab Cõsaluo defficiens Aldanio se adiungit.

Mora Cassamalcam abit.

das q3 Consalui vires cõstitutum est, vt Cassamalcam cum aliqua militum parte abiret, isthic intercipiendi omnes causſa, qui ad Maiestatis nomẽ transire vellẽt: diuersi insuper diuersas in plagas ad Cichapoiades, Quitonem & Vanuconem, & ad Mercadillũ Porselliumque Duces diuersis in locis ab Consaluo constitutos nuncij ac literæ mittuntur, vt quamprimum, quibus possent copijs, ex sedibus suis ad Cæsaris obsequium Cassamalcam accelerarent. Non multò post per monachum iudicem ad Cõsaluum fama peruenit, Didacum Moram portu egressum classiculæ venienti nauigium adiũxisse; & ipse in eam suspicionem veniebat, vt se Gascæ applicaret, Panamaidem nauigasse, qua adductus nauigio attributo Garziam Leontium vnà cum cœnobiarcha quopiam Trugillum misit, vt isthic Præturam gereret, & profugorum fœminas Panamaidem ad maritos eo nauigio cœnobiarcha adueheret, viduas verò suis militibus, qui illas procirent, nubere quamprimum iuberet, aut eas etiam, quæ nollent imperata facere, cum cæteris Panamaidem deportaret: quod inhumanitatis plenum

Inhumanũ in fœminas Consalui facinus.

num facinus, quanquam varijs excusationum pallijs obtegeretur ac purgaretur, non aliò tamen spectabat, quam vt earũ omnium seruis indigenis, adeoq; vniuersis facultatibus inhumanissimè potiretur. Verum, quum iamdudum inusitatæ tyrannidis omnes sacietas cœpisset, Leontius occurrenti Aldanio cum omnibus suis se aggregauit, Regiumq; ad id renunciandum, aliosq; clam sollicitandos, & eos, qui secreta in Pizarrum odia, in Præsidem verò benigna studia induissent, monẽdos, vt ad littus descenderent, lembis excipiendi, cœnobiarchã remisit. Consaluus, quod erat, fama indicante anteà resciissens hunc Regium peruenire, aut cum vllo clam palámue sermonem habere vetuit, permultum autem conquestus est, tantum suam se opinionem fefellisse, quod ab Aldanio, cui maximam semper fidem habuisset, in quo summam spem collocasset & vel inuitis alijs candidè peperciisset, nunc initio defectionis facto ante alios subitò proditus esset: multi palam etiã in Ducum corona eam ob rem Consaluum incusabant, quòd, vt maturè infidum hominem tolleret, suadentes stulta-

Consalui de Aldanio querela

credulitate fiduciaque respuisset: seræ tum querelæ volitabant, imminens vis pari vi repellenda erat. Ergò Consaluus acies ordines q3 ac Duces instituere, tormenta parare, arma congerere, & omnem belli necessariam curam expedire cœpit. Benitum Caruaialem ac Cepedam Ephorum, quorum fidei superiore bello egregiè spectatæ id benè committendum putabat, equitibus præficit; Ioanni Acostano; Ioanniq3 Vellæo Queuaræ veterem Sclopettariorum præfecturam relinquit; reliquo peditatui Ferdinandum Baxicouum, Martinum Roblesium, & Martinum Almendram Duces assignat. Francisco Caruaiali vetus summæ Præfecturæ munus reddit, quod inter alios facilè virtute, sciẽtia, ac erga se fide præmineret, & cum eo maximè omnes consiliorum suorum rationes digereret, eiq3 Sclopettarios trecentos, quos secum è Carchantibus adduxerat, relinquit. Hinc tuba tympanoq3 per vicos compitaq3 sonante, vt quicunque per ætatem ferre arma possent, nomina darent, offerentem se ciuiũ turbam per milites distribuit, & Ducibus insuper pecuniam in stipẽdia impertit.

Consaluus bellum aduersus Præfidem instruit.

Marti-

Martino Roblesio viginti quinque aureorum millia ad centum triginta milites alendos donantur, Baxicouo viginti, Acostano ac Queuaræ in Sclopettarios suos triginta millia dependuntur. Signum regium Antonius Altamiranus vehebat, cui duodecim millia data sunt, vt peculiares ipsi equites attributos curaret, qui Cusconicæ vrbis ciues potentia opibusq; splendidissimi stipendia non merebantur, sed alacriter in Consalui gratiam nomina dederant, in prioribusque etiam bellis fortem fidelemque operā illi nauarāt. Ea nocte, militibus per certas stationes diuisis, summa cura vigilatum fuit, postridieq; milites, vt recenserentur, in foro egregio ordine sub signis constiterunt, & ipse Consaluus peditibus admixtus stetit. Mille amplius viri erant, sed quorum dextræ ac virtus vniuersa ferè Prouinciæ loca egregij facinoris memoria insignierant, & tales hercule, quales nullo in triumpho Europa vidit. Erant enim non decoris modo armis protecti ac fulgentes, sed his superindutas ephæstrides murice, auro, argētoue tinctas habebant, caligasq; artificiosè segmentatas, & per

Consaluī milites quales in nullo triūpho fuerūt.

per earum secturas cocco byssoue diducto, intumescente tomento conspicuas, aut ipsa arma lagunculasq; auro intincto variegatas gestabant, inuicta haud dubiè ea in Prouincia Ducibus militibusq; acies, si intoleranda crudelitas superbiaq; Consaluo militum Ducumq; fidem amoremq; non ademisset; quare victum magis, quam bello, superatũ fuisse constabit. Mittuntur hinc in varias plagas nuncij ac literæ ad vrbium Prætores Cusconem, Quitonem, Vamantiacum, ad Ioannem Saiauedram, Argyropolim atque Arecupiam, vt quantas maximè possent copias magnæ & periculosæ rei causſa celerrimè cogant, Regumq; perducant, ad alliciendum etiam vulgus hanc rationem belli susceptiſ fundamentis dabat. Eo proposito ad Cæsarem se Laurentium Aldanium amandasse, vt suo suorumq; nomine, quicquid in Prouincia gestum fuisset, exponeret, statumque publicũ exactissimè explicaret, & summam eius voluntatem referret, hunc tamen mala mente seductum Præsidi fœdus operamq; fraudulentissimè contra fidem applicasse, nunc sua cum classe, quam ipse tot aureorum

Consalui ratio cur bellum in Præsidem susciperet.

reorum millibus exædificasset atque instruxisset, facta conspiratione, se oppugnatũ venire. Gascam autem Præsiden. licet inducendæ quietis, bellorumq́; pacandorum caussa ab Cæsare missus esset, ex sua tamen nunc authoritate copias, quas potuisset, conscripsisse, vt, quicunque superioribus bellis operam consiliumque & adminiculum interposuissent, puniret ac persequerentur, cuius culpæ quum neminem propè expertem esse constaret, enixè, vt sibi prospiciant, omnibus laborandum. Quod enim de donãdis remissionum diplomatis iactatum esset, existere profectò plusquam friuolum ridiculumque, quæ ecquid profutura cuipiam, cum ante Quitonicum prælium, & Velæ Proregis mortem constituta confectaq́; neminem adhuc eorum cõprehenderẽt, qui illi pugnæ interfuissent? in hæc verò donanda ecquid Præsidi potestatis factum, qui ante Velam cæsum Hispania soluisset? Quapropter dum alia constitutione negocio ab Maiestate prospectum esset, Præsidis iniquos conatus refutare, omniq́ue vi bellica obsistere sibi statutum esse, & eò promptius, quod fama & Francisci Mal-

donati sui legati literis intellexisset, Gascam missum esse non adimendæ sibi præfecturæ caussa, sed vt in concilio regio Præsidis nomen atque authoritatem tueretur & vsurparet, ipsum etiam Gascam in literis ad se per Ferdinandum Paniagum traditis nihil aliud prætulisse, nunc verò prauissimis aliquot proditorum consilijs inuersum longè rebus sibi mãdatis aduersã moliri. Inter has curas perlatum fuit Laurẽtium Aldanium Trugillo propinquare, quem ad nuncium Consaluus cum quinquaginta hipposclopistis Iohannem Acostanum percurrere littus iubet, & lignandi aquandiq; facultatem descendentibus impedire, & nauigia ab continente arcere. Is nauiter iussa faciens ad Trugillum vsque excurrit, partimq; Didacum Moram Cassamalcæ sedentem metuens, partim Santæ classem versari intelligens, eò contendit, quod ipsum per Hispanos quosdam percipiẽs Aldanius manipulos aliquot in cannetum abdidit, præcipitasset q; in insidias Acostanus, ni, exceptis commodùm aliquot explo ratoribus, & his metu mortis omnia aperientibus, periculum didicisset. Ab iisdem cognouit

Acostanus classiarijs infestus.

Aldanij insidiæ detectæ.

uit proximè littus nautas aquari, ad quos contendens multos cæpit, reliquos abêgit in ipso insidiatorum conspectu, qui equitibus se pedites obterendos obijcere metuentes prodire non audebant. Captiuos Regium missos Consaluus, serò clementiæ famam captans, comiter apud se habuit, & ab his clarissimè, quid Panamaide gestum fuisset, quid Præses rerum gereret, quem apparatum instrueret, quæ missis in diuersas variarum Prouinciarum partes Legatis nuncijsq; auxilia conuocasset, intellexit, & inter cæteraid etiam relatum cognouit, Aldanium ad promittenda dandaq; remissionum diplomata Petrum Vllôam, virum sacratum, profano habitu in continentem exposuisse, quem deinde conquisitum Consaluus cœpit, & in cauernam tenebris horrentẽ, & dira reptilium ac subterraneorum animantium multitudine infestum atque deformẽ detrusit, vbi tantisper delituit, dum appulsa classe per occasionem erumpens effugit. Post hæc ad eijciendum Cassamalca Didacum Moram statuerat Consaluus Benitum Caruaialem mittere, eoq; redacta res erat, vt ducentis delectis

Petrum Vllôa in cauernã detrusus.

in craſtinum profectionem pararet, quum ſequentis diei ſummũ mane Franciſcus Caruaial ad Conſaluum veniens id magnis de cauſsis eſt dehortatus, tantæ rei momentum minimè ambiguæ fidei homini committendum affirmans, quem ſatis sciret magis vindicandi fratris, quàm ipſius ſtudio eius partes ſuperiore bello eſſe ſequutum, nunc vltione peracta non inanis ſuſpicio foret tot affines, cognatos, ac familiares Præſidi militantes, & fratrem Epiſcopum Luganum, in ſumma gratia nomineq́ apud Cæſarem habentem, deinde turpi indictæ necis ignominia affectum, excruciante veteris iniuriæ memoria, nihil fidi certiq́ apud animũ conſtituiſſe, & pro tempore conſilium aliquando capturũ. Huius ergò hortatu id munus Acoſtano impoſitũ eſt, & ea diffidentia effectum, vt iniecta ſuſpicione Benitus ad deficiendi cogitationes verteretur. Acoſtanus autem ducẽtis & octoginta amplius aſſumptis Caſſamalcam iter intendit, ſed poſtea reuocatus cœptum omiſit. Sub id etiam tempus literis Aldanij acceptis Ioannes Saiauedra Vanuconis Præfectus militibus aliquot cõtractis per

Suſpicio & diffidentia Conſalui erga Benitum Caruaialem.

per ſpeciem opis Conſaluo ferendæ, quam ille etiam miſſo Ferdinando Alphonſo poſtularat, vrbe exiuit, atque ibi mente detecta, omnibusq; ad Præſidis obſequiũ paratis Caſſamalcam ad Didacum Moram acceſſit. In hac noui motus tempeſtate Centenus poſtquam ferè annum integrum in ſpecu delituiſſet, de Præſidis aduentu aliisq; rebus geſtis edoctus caput exerere, ſenſimq; viros attrahere cœpit. Cuſconem miſerat Conſaluus Antonium Robleſium, qua contumelia permotum ferunt Alphõſum Hinoſam vocaſſe ad vrbem occupandam Centenum, atque vel id certè, vel aliam fraudem latuiſſe oportet, quæ Centenum inuitarit, cui alioqui quis credat eam poſſe audaciã ac ſpem eſſe vrbis inuadendæ, vbi amplius quingentorum præſidium eſſet, tanta paucitate, quam tum Centenus habebat. Erant enim illi non amplius viri quadragenta, nec ijdẽ ſatis armati, adeò vt quidam ridiculè armorum atque haſtarum inopia pugiones perticis alligarent; inter hos Principes eminebant Aloyſius Riberius, Alphonſus Peris Eſciuellus, Didacus Aluarus, Franciſcus Nigralius, Perusq;

Didacus Centenus poſtquam in ſpecu amplius anno diluituiſſet iterũ comparet.

Centenus ad Cusconẽ expugnandam properat.

trusq; Hortutius Sarates. Cum his Centenus Cusconem ire perrexit, quod vbi cognouit Robleſius, milites præparat, acieq; inſtructa forum occupat, & Franciſcum Aquirram eius Peruchi fratrem (quem ab Caruaiale immeritò ſuſpenſum fuiſſe diximus) exploratum emittit, qui in hac occaſione veteris iniuriæ non immemor Didaco ſeſe adiunxit, & eundem de ſtationibus edocuit, & quicquid porrò in Prouincia geſtum fuiſſet. Ea igitur nocte, quæ Sacramẽti feſtum præceſſit, altera, quàm expectabatur via vrbem introiuit, ſtatimq; Centeniani illato clamore atque tumultu, quo prima impreſſione Robleſianorum conglobatos ordines percellerent, acerrimè ſunt adorti. Ergo repentè, tubis ſonantibus & vniuerſa vrbe Sclopettorum, tympanorum, ac pugnantium murmure repleta, quum ſemiſopiti quiq; ex ædibus proſultantes, rapto eo, quod fors manibus primum intulerat, partim hoſtium, partim ſuorũ numerũ oppidani auxiſſent, et ipſi Robleſiani ad eum caſum præparati fortiſſimè inuadentes excepiſſent, maxima contentionis certamen ſequutum eſt. Centenianorum

Cruenta pugna Cuſconico in foro.

norum paucitatem tenebræ, et ipse Dux plurimum adiuuabant, qui destrictũ tenens gladium hic cunctis aut moriẽdum fortiter aut vincendum fortius esse monebat. Roblesiani quanquam numero longè vincerent, tamen vndique opprimebantur. Nam ipsi ciues nihil de tessaris quærentes, in eum ruebant, in quem primus furor excursusque distulerat, fœdiorq; idcirco metus ac turbatio erat, quum à quo cauendum, quò irrumpendum esset, tenebris impedientibus nesciretur, & ipse circumstans vndequaque clamor, fusus sanguis, vulneratorum discursio omnia verò terribiliora facerent. In ea trepidatione equos præparatos sessoribus carentes Centenus calcitris in confertos agitari iussit; quibus dolore insanientibus, & furibundo impetu proruentibus, prius Roblesianorũ ordines diuulsi ac lacerati sunt, quam vel interficere præteruolantes, vel sentire possent an sessores haberent. Ea res Centeno plateæ spatio potiundi facultatem dedit, & certam victoriam attulit; quippe disruptis ordinibus, & alibi alibiq; magna confusione pugnantiũ Roblesianorũ vbi paulò pòst con-

Astus Centeni ad exemplũ Annibalis quo hostium ordines perfregit.

concors fuga exorta est, oppidani victoribus se adiungentes effusissimè omnium fugientibus institêre, & ad expiandas Consaluianorum Ducum varias cædes auidissimè per vicos & compita concidêrunt; quem inter tumultum ex ciuibus etiam nonnulli periêre: nec desunt, qui ferant fugæ consultò initium esse factum ab Hinosanis, ita ab Duce facere iussis; quãquam nec Hinosa id factum ad existimationem lædendam fateri, nec ipse Didacus ad eleuandam victoriæ gloriam, quæ ingens erat, accipere atque agnoscere vellet. Certè in ea nocte vel accedente occulta fraude duo præclara feciſſe putatur: primum, quod tanta paucitate vrbem adoriũndi concepisset audaciam, ea propè non minorem, qua Leonidas Lacedæmoniorum Princeps cum quingentis ad Thermopylas Xerxis exercitum innumerabilem noctu inuasit: deinde quod ea equorum concitatione hostilem aciem perfregisset, petita, vti videtur, ab Annibalis exemplo versutia, quem bobus stramentis ad cornua ardentibus amenter concitatis, saltum, quo ab Fabio Cunctatore circumuentus erat, metu Romanis aba-

Duo Centeni præclara facinora.

abactis euasisse, Liuius memorat. Postridiè Centenus, sedato tumultu, vulgo ad opera redire iusso, compositaq; Repub. Antonium Roblesium præpalam capite plectit, militibus centum aureorum millia distribuit, & magna Roblesianorum parte ascita, Petrum Rium & Ioannnem Vargam peditibus, Negraliũ equitibus præficit, Aloysium Riuerium legatum facit, atque inde Argyropolim ad Alphonsum Mendocium opprimendum iter intendit. Arecupianus tum Prætor, Lucas Martinus, centum triginta viros collectos vrbe egressus Consaluo adducere volebat; sed hi audita Centeni fortuna hunc comprehenderunt, sumptoque Duce Hieronymo Villega (cuius non vna superiore libro mentio est & facta) ad Centenum transierunt. Hæc omnia ad Consaluum perlata, antè iamdudum certiorem factum Michaëliæ ad Præsidem omnes inclinatos, & Cassamalcam magnas copias vndique conuenire, nunc certissimè scientem, nihil sibi militum quicquam sperandam esse, præterquam quod Regij haberet, induxêre, vt Ioannem Acostanum (quem ab eo ad oppri-

Cusco ab Centeno occupatur.

opprimẽdum Moram Cassamalcam missum antè diximus) reuocaret, & eundem aduersus Centenum mitteret, atque ipse demum sequeretur; primumq; ea parte insurgentem nubem discuteret, aut, si male vellet fortuna, procul ad extremam conseruandæ salutis curam ad Argyreum amnem, aut Chiliacos secederet. Iam enim aduerso satis in se hominum habitu, & maiores in dies militum suorum Ducumq; defectiones percipiens, serò fortunæ ludibrium, & inanes hominum contentiones sapere cœpit; in tantum verò pauescebat in dies, vt oblitus gloriæ veteris que iactantiæ & cupiditatis, qua modo Prouinciæ imperium affectarat, atque id per vim, vel inuito Cæsare, obtinere sibi desponderat, in vnam expediundæ salutis sollicitudinem attonita mente incumberet. Hæc quanquam occultissimè contegere conaretur, tamen vel multo annisu expressa vultus simulatio latentem mœrorem decoquere non poterat, vt omnem apud alios sensum suspicionemque contegeret. Varia igitur transfugia & defectiones subortæ sunt, varij apud milites tumultus, & ingens metus, parque desciscendi volun-

Consaluus sero sapere & sibi metuere incipit.

voluntas plures pluresque in dies inceßit: quare quum tyrannide, vi, & crudelitate in fide atque imperio nolentes cõtinere vellet, varia homicidia, multæ cædes vel ob leuiuſculas ſuſpiciones exceperunt. His è medio ſublati ſunt Laurentius Mexia, & nullo in facinore deprehenſus, quòd paulò ad obeunda imperia inuitior ac tardior crederetur, Antonius Altamiranus; ſignumq; Regium, quod huic donatum fuerat, ad Antonium Riuerum eſt tranſlatum. Verùm vt certiore vinculo, quos habebat, ſibi aſtringeret, eoſdem procul dubio defecturos ſuſpicans, ſimulac dubijs remiſſionum diplomata innotuiſſent, Duces, Principes, vrbiſq; primates conuocat, his ob oculos ponit nullum officium, nullum certamen ad ipſos defendendos abs ſe prætermiſſum eſſe, nihil curarum, bellorumq; ac diſcriminũ recuſatum ad conſeruandas ipſorum fortunas, quas beneficio fratris ſui Franciſci Pizarri obtinuiſſent, nihil, quod ad ipſorum cauſſæ confirmationem faceret, relictum, miſſos in Hiſpaniam Legatos, vt Cæſari publicum Prouinciæ ſtatum latè declararent; ſed eoſdem Panamai-

Conſalui in caſtris multa trãſfugia, & ob id variæ cædes.

Laurẽtius Mexia & Antonius Altamiranus cæſi.

Conſaluus ſuorum animos tentat.

de retentos, & fraude seductos fœdera contra se iniquissima percussisse; & classem, in quam tanta impendia erogasset, contra omnem fidem interceptam: qua in re non hercule Maiestatis mandatum præstari, sed priuatam rem Præsidis requiri; cui si quæ in se belligerandi facta potestas esset, ipsum haud dubiè vna cum literis per Paniagum tabulas fuisse missurum, nunc pedes suæ iurisdictionis finibus inferre nouorum tumultuum fabam cudentem, & in varias partes ad seditiones secessionesq; excitandas fallacia diplomata mittentem; qua iniquitate ad repugnandum ipsi nũc sese impelli, quam ad rem non minora ipsorum studia atque adiumenta esse debere: nam satis liquidum, certissimam anteactorum bellorum, cædium, ac latrociniorũ, exactissima seueritate rationem ductum iri, & omnibus igitur ipsis, qui magnam earum rerum partem gessissent, truculentissima excarnificationum supplicia imminere: quãobrem, si superioribus bellis pro bonorum incolumitate promptissimè depugnassent, nunc multò hercule alacrius fortiusq; dextras metu depositio pro vita, hono

re, ex-

re, existimatione, ad intenta supremarũ miseriarum, & extremæ necis tela iugulis retundenda propulsandaq; expediundas, eaque re huc omnes ipsos abs se conuocatos esse, vt, nulla hæsitatione, liberis sententijs intimarum voluntatum ingenuitatẽ expromerent: se fidem dare, & (si vellent) legitimo Sacramento adiuraturum, nemini id fraudi aut damno fore, ábire etiam volentibus liberam discedendi facultatem concessurum, suã verò qui sententiam approbarent, ijs Sacramento fidem obligandam, & asscribenda nomina esse: proin secum omnes, quod videretur, diligenti æstimantis animi ponderatione examinarent; postea enim post exhibita suffragia pœnitere, ac pigrescere, remq; ad belli vsq; euentum dubiam trahere volentibus vel tenuissimæ suspicionis auram capitalem futuram. Illi adulationis studio mox ferè omnes fidem fraustraturi, quod instituisset, laudando, & ne dubitaret pergere, exhortando, ad ipsius salutem gloriamq; quicquid in se hactenus sensisset, studij, cõsilij, laboris, ingenij, authoritatis, fidei, constantiæq; id omne largius præstantiusq; ad hanc rem conficiendam pol

Fides Consaluo ab suis da-

licen-

licentur ac deferũt, & penitus, quicquid sua vel corporis vel animi facultas caperet, ad extremos spiritus ipsi se reseruaturos spondent. Hæc data omnium fides quum metu graui anxium paululum recreasset, aduenit Acostanus, quem, vti antea statuerat, Cusconem quamprimum cum trecentis aduersus Centenum misit. Paucos post dies cognitum est Laurentium Aldanium cum classe non amplius quindecim passuum millibus abesse; quem ad nuncium Consaluus, ne si classem propinquare pateretur, magna fortuito tumultu excusitata conturbatio vrbem confunderet, quotquot armis ferẽdis per ætatem idonei essent, educere constituit; promulgatoq; edicto, ne quis post tubæ signum in vrbe permaneret, tanta repentè mœstitudo miserum vulgus occupauit, vt, quum nec fugiendi, nec manẽdi, mortis vndequaq; astante metu animum haberet, multi extremum casum opperirentur, plurimi supellectilia, & argenteos imprimis thesauros incilibus atq; lacunis conderent. Postridiè, cum vela procul conspecta essent, tuba sonante equites peditesq;, qui amplius quingenti erant, in forum

Regij trepidatio ob Aldanij aduenium.

Laurẽtius Aldanius ad Reginũ portum venit.

rum tumultuario conuenerunt; quibus deinde Consaluus eductis medio itinere eam ob causſam consedit, vt continente, ne diploma ta per suos insinuanda ac spargenda curarent, (id enim ante omnia metuebat) classiarios arceret, & suis transfugiendi locum præcluderet, interimque, qua fraude classe potiri posset, experiretur. Postquam eo die pacatus sedisset, postridiè ad Aldaniũ misit Ioannem Ferdinandum ciuem Reginum, vt, illo retento obside, ipse aliquem colloquendi causſa ad se mitteret; qua re facta venit ab Aldanio missus Peña, qui ad Consaluũ perductus tabulas demandatæ Præsidi potestatis declaratorias, & remissionis publicũ diploma eidem tradidit; ore dein reliquum peragẽs, monuit, id cùm ipsi imprimis honestum, tum Reipub. fructuosum fore, si, vti par esset, æqui obsequij pium officium Maiestatis statutis deferret, quorum hanc vnicam voluntatem esse, ipsum occupata per nefas præfectura abire, ac Præsidis cum plenissima omnium rerum peragendarum potestate in Prouinciã missi authoritati parere. Ad ea nihil aliud respondit Consaluus, quam quòd atrocissimis supplicijs

Consaluus in Aldanium.

plicijs proditores, & ipsum Præsidem arrogantiæ caussa se affecturum minaretur, & grauissimè imprimis de Aldanij improbitate expostularet: ipsi autem Pennæ data fide centum aureorum millia spondebat, si qua arte prodendam sibi classem curaret: cuius sceleris oblationem honesto ore Penna abs se respuit, atque ita dimissus recessit, simulque Ioannes Ferdinandus in castra reuersus est.

Remissionum diplomata per Ioannem Ferdinandum castris Consalui insinuantur.

Is varijs Aldanij incitationibus pertusus longè alium & Consaluianis aduersum animum induerat; & huius opera Aldanius in diplomatis insinuandis maximè vtendum censens, aliquot ei exempla secretò tradiderat, literasq; item alteras ad meliorem perficiundæ fraudis aditum parandum cõtextas, & ad proceres datas, quas ijs attribuit; & Pizarrum remotis arbitris conueniens, dicebat Aldanium mentem suam sibi in sinum effudisse, petijsseq;, vt aliquot diplomatũ exempla in ipsius castra perferret, idq; partim vana Aldanij lactandi spe caussa, partim, vt ipse, quid lateret, perlegeret, haud se grauate feciſſe: qua de re collaudatus magnæ fidei, loco apud Consaluum parato occasionem

Ioannis Ferdinandi astus ad cauendam suspicionẽ.

cum

cum quibuſdam de diplomatibus clam agendi inuenit. Hunc in modum Conſalui rebus afflictis, vbi veniæ impetrãdæ diplomatum fama aſperſiſſet, Regini ciues aliquot exeundi in vrbẽ copia facta profugêre, inter quos facilè principes erant Ferdinandus Brauus, Didacus Aſcouetius, Baſcus Queuara, & Franciſcus Ampurius; ad quos inſequendos Ioannem Torræum (non eũ cuius ſupra mentio facta) extemplò Cõſaluus miſit, qui ſumma celeritate nouiſſimos conſequutus eſt, & Baſcum Ampuriumque ſe defendere coëgit; ſed demum, equis vehementer curſu fatigatis, pugnamq; illis viriliter in profundas tenebras extrahentibus, receſſit: Ferdinãdum Brauum, qui ab reliquis diuerterat, interceptum ſecum adducens. Huic vix multa lachrymarum precumque profuſione ſoror, ad Conſalui pedes ſeſe aduoluens, vitam impetrare potuit; qua homini indulta Alphonſus Caſaraſſus Pizarrum complexus, Male pereant, ſummæ Princeps, inquit, qui te deſerunt, atque ipſe dein vix poſt horas tres cum Brauo profugit. Paulò poſt Didacus Maldonatus ab Martino Robleſio reſciſ-

Conſaluia ni magno numero ab Pizaro profugere incipiunt.

Ridiculum facinus.

cens seſe in magna ſuſpicione verſari, quòd primùm inter eos fuiſſet, qui Cuſcone ad Velam profugerant, quod contumelioſas literas ad Pizarri pedes abijciendas curaſſe putaretur, quòd magnam familiaritatem cũ Antonio Altamirano habuiſſet, noctu, nemine ſeruo aſſumpto, equo etiã relicto, pedes, quantum per ingraueſcentem ætatem licebat, tribus inde paſſuum millibus fugiens ſeſe inter arundines condidit; dein veritus, ne ab inſequentibus retraheretur, nautam indigenam magnis precibus perpulit, vt ſe ſtramento impoſitum claſſi adueheret; cuius ita beneficio, quanquam ægrè, iam labaſſante ſtramentorum compage ſeruatus eſt. Manè Robleſius & ipſe maturè faceſcendi deſiderio flagrans, Pizarro ſignificat profugiſſe Maldonatũ, ſibi videri in tempore illinc diſcedundum, ne ab cunctis per occaſionem fugientibus deſereretur; nemini verò copiam ad vrbem abeundi faciundam, &, vt eiuſdem petendæ cauſſa tolleretur, iturum cum ſuis ſe profitetur ad obſonia coëmenda, diligentiſſimeque omnes obſeruaturum, eadem tum inſuper opera Maldonatum retracturum, qui in Domini-

Didaci Maldonati nocturna fuga.

minicanorum monasterio latere vulgo ferebatur. Id quum mirificè approbaret Consaluus, ille optatam occasiunculam nactus, assumptis quibusq; fidissimis & equis Maldonati, ad vrbē profectus est; deinde palàm ad Præsidem se transire professus, Pizarrumq; tyrannum increpans, celerrimè Trugillum contendit. Hunc paucos post dies Benitus Caruaial vigiliarum curam cùm gereret, deserta statione, multis cum viris sequutus est; hunc verò Gabriel Roas cum Vernutio & Gometio Roa cognatis. Tum verò apud milites Ducem ab ijs deseri conspicantes, qui summam hactenus fiduciam præstitissent, intimaq; consiliorum ipsius adyta scirent, nec id sine magna causſa fieri ratos, suprema attonitarum mentium conturbatio cœpit, adeò vt animis & spe etiam destituti penitus obstupescerent, multiq́e ab hac occasione tumultuandi ansas petentes suam miseriam, Pizarri superbiam ac cæcitatem magno verborum murmure exaggerarent. Ibi inter alios ferociſsimi duo in ipso Consalui conspectu altissimè inclamantes, tyrannumq; appellantes, equis conscensis profugerunt,

Martinus Robleſius astutè Consaluū deciens fugit.

Beniti Caruaialis cū multis alijs fuga.

Mirabilis inter Consaluianos perturbatio.

Militum duorum ingens audacia.

Pizarro non insequi ausо, ne & insequentes amitteret; ipsi verò nullis mactationum supliciorumq; exemplis frænari ac sisti fugam posse sentienti vsque adeò perculsa inter metum ac desperationem mens stabat, vt, quò longius suos ab classe retraheret, in Nasconum regionem, quæ quinquaginta inde passuum millibus abest, desperabundus abscederet. Nec mora, digresso Consaluo, Antonius Riuerius, Martinusque Pizarrus, Antoniusq; Lætonius, qui Consalui venia in vrbe remanserant, in forũ conueniẽtes Maiestatis nomini vrbem planè inaugurantur, et diplomata remissionum ad vulgus recitant, & Laurentium Aldanium de re omni certiorem factum aduocant, & pulchro aciei ordine introeuntem beneuolæ excipiunt. Hic rebus omnibus curatis, quæ vel ad classis tutelam, vel ad diplomata spargenda, vel ad stationes vrbanas distribuendas pertinebãt, Gascæ Præsidi, quod gestum erat, per literas significat; & declarata omnium ad ipsum iuuandum, & ad hostem deserendum promptitudine, vt acceleraret, hortatur. Interea Ioannes Acostanus cum trecentis in Centenum

Consaluus desperabundus Regio abscedit.

Aldanius Regio potitur.

num dimissus (vti dictum fuit) cùm montano itinere Cusconem pergeret, ipsum se sequi Pizarrum Regio relicto intellexit; quamobrem misso Petro monasticæ vitæ homine ab eodem quæsiuit, quid facto opus esse iudicaret, respondit́q; Pizarrus ad se quamprimum veniret eo itinere, quod per literas scriptas demonstrabat. Monacho reuertente, Acostanus omnem Pizarri fortunam, qui tumultus, qui terrores, quæ transfugia accidissent, cognouit; sed ab eodem admonitus, ne eorum verbum antè faceret, quam ad Consaluum peruenisset, ad iniquas omnes auertendas suspiciones in vulgus militum vana commenta spargebat, bellissimè cũ Pizarro agi, magnamq; illi hominum multitudinem accessisse, magnatum verò quospiam emisisse, qui per transfugij speciem viam sibi potiundæ classis pararent. Verùm nulla effictorum rumorum mẽdacia calamitatem acceptam tegere poterant, quin ad milites non obscura suspicio surreperet, demirantes quorsum Regio Consaluus abscessisset; antè etiam perlatæ secretò erant per indigenas ad quosdam literæ, & ipsos Duces imprimis diligen-

ligenter de rerum suarum statu indagantes scrutantésque veritas rei gestæ fallere non poterat. Quapropter Paschasius Sotus & Martinus Dolmus seorsim, quisque apud se, non inita coniuratione, de mutuo instituto ignorantes Acostanum tollere decreuerant; & vtroque tempus accommodum quærente, fortè accidit, vt sese in eodem conceptu versari ex quibusdam signis aduerterēt; colloquuti deinde inter se eadem de re milites aliquot asciuere; in ipso autem temporis ad cædem destinati momento animaduertit Sotus Acostanum in tabernaculo duobus cum Ducibus, Didaco Gillio Martinoq; Almendra, colloqui, & satellitium excubare pro foribus solitò frequentius: qua ex re suspicione manifestatæ coniurationis collecta, præmonitis ad se præparādos socijs triginta amplius Vamātiacum versus profugêre, ad quos insequendos sexaginta hippoſclopistas Acostanus misit; sed hi, profugis celeritate euadentibus nihil agentes, in castra sunt reuersi. Exinde cœptum iter prosequens, cædendo interficiendoq; suspectos multis dilapsis & dilabentibus Cusconem peruenit, atque hinc

Conspiratio in Acostanum non perfecta.

Paschasij Soti & Martini Dolmi fuga.

Arecu-

Arecupiam, quò Conſaluus deflexerat, contendit. In eo itinere amplius triginta amiſit, & ipſe Martinus Almẽdras Cuſconem cũ viginti profugit, reſtitutoq; ſenatu quem immutarat Acoſtanus, Conſaluianos Iudices vinctos Regium ad Aldanium miſit. Arecupiam cùm peruenisſet Acoſtanus, centum duntaxat ſuorum deprehendit, cum trecentos Regio eduxisſet; ſed ipſum Conſaluum cum trecentis tantum offendit, quum ſupra mille paulo antè habuisſet. Sub id tempus Rodoricus Salaſarius Petrum Pulletium Quitone confodit, belloq; in Conſaluum proclamato, omnes milites ad Præſidis partes perduxit; & cum trecentis egreſſus, Tumbæum conceſsit. Ita nulla vrbs ac ciuitas erat, quæ non, exploſo Conſalui nomine, regiam militiam accepisſet. Didacus Centenus interea ad Collaones perueniẽs, literas iſthic Aldanij accepit, quibus certior fiebat Regio Conſaluum diſceſsiſſe, & eò anguſtiæ redactum, vt ne latebram quidem amplius ad receptum haberet, perpetuoq; certamine ad retentandos milites, fugamq; inhibendam conflictaretur, non dubiumq; eſſet, omnium auxilio

Acoſtanus Cuſconem venit & magno numero ab ſuis deſeritur.

Martini Almendræ fuga.

Conſaluus & Acoſtanus Arecupiam veniunt.

Petrus Pulletius Quitone confoſſus.

xilio destitutum iri, simulac hostes visi commodam transfugiendi opportunitatem præberent. Hæc scripta Centenus ad Alphonsum Mendocium, Argyropolis præfectum, mittit, simulq; suas literas addit, in quibus ostendit, minimè ex voluntate Cæsaris fieri, Pizarrum summam præfecturam obire, eam verò Præsidi misso demandatam: quamobrem plurimos, qui in omnibus bellis illi summa fidelitate atq; constantia hactenus adhæsissent, nunc animos commutasse, considerare iubet, dominatum Pizarri omni furore & inhumanitate pleniſsimum, tot innoxiorum cædes factas, tot innocentium direptas fortunas, unq; ad obtinendum mordicùs inuasum imperium manifestam rebellionem Regi suo, cui natura ipsum obseruātia obsequioq; deuinxerit, scelerātè construere, malleq; vitā antè deponere, quā missum Præsidē accepta re, & iniusto principatu abire: porrò, si vllo colore adhuc excusari, et aliqua caussarum æquitate defendi anteacta possent, nihil profecto in hoc motu rationum caussarum relinqui, quibus aut nequitiam peruersiſsimæ mentis obscurare, aut perduellionis infamiam

Centeni literæ ad Alphonsum Mendocium.

famiam pœnãq́; subterfugere valeret. His talibusq́; monitis ab Consaluo deductus Mendocius, cum fama antè percepta plurimũ ipsius mentẽ labefactasset, cũ Centeno pepigit, vt suis vterq; militibus imperio adæquato præesset: deinde Argyropoli profectus, sese Didaco coniunxit, summaq́; militum gratulatio vtrinque est facta: & ingens gaudium omnes peruasit, quum præter optimum belli apparatum amplius mille viri coijssent. His rebus auditis Consaluus, quanquã in singulos ferè dies in arctũ cogi copias suas videret, Franciscũ Voßiũ cũ literis ad Centenum misit, in quibus omnia beneficia, quæ à se profecta in ipsum constarent, prolixè commemorat: eo etiam tempore, quo Gaspar Roas Philippusque Gutirius sublati fuissent, illi vel Ducũ magno dissuasu abs se parcitũ esse recẽset, pollicetur nunc omnẽ iniuriarũ memoriam candida obliuione se deleturum, in gratiamq́; quibus ille vellet pactis cũ illo rediturũ, si ad se adueniret, quãdo Lupus Mendociuus eiusque appendices seditionis concitatæ autores meritas pœnas exoluissent. Ad ea rescripsit Cẽtenus, singulari humanitate benefi-

Alphonsus Mendocius se Centeno adiungit deserto Cõsaluo.

Consalui ad Centenũ literæ.

Centeni ad literas Consalui sunt

beneficiorũ apud se positorũ nomine Cõsaluo permagnas habẽs gratias, & eidẽ promittẽs, si præfractã superbæ in Maiestatẽ rebellionis mentẽ exueret, aberrantemq; furore et cæca cupiditate animum ad iustæ pietatis officij q; cogitationes retorqueret, ipsum se fido apud Præsidem deprecatore ac conciliatore vsurum. Franciscus Vossius Didaci Centeni literas referens, cùm in castra reuerteretur, ei obuiam contendit Caruaial, iussitq; in vulgus famam dare, Centeno non vltra septingentos milites esse. Vir enim bellicosus & crudelis, maximeq; indignans victum abs se Didacum, & ex antro proserpentem ad tantum splendorem redijsse, ac per dolum Alphonsum Mendocium attraxisse, prælio maturæ fortunæ euentum periclitari statuerat; &, ne suis nutantibus magis animi frangerentur, eo commento effici volebat. Ipse etiam Consaluus ad Centeni contemptum declarandum ante lectionem literas delatas in omnium conspectu exusßit: dehinc certo dimicandi proposito rectà in Centenum pergit, cu rante primam aciem Caruaiale, qui quoscunque obuiam delatos in crucem agebat; & in-

Caruaialis æstus.

Consaluus in Centenũ

ter

ter hos sacrati ordinis quẽpiã nomine Pantaleonẽ. Castra vbi castris collata sunt (quod fuit quadragesimi septimi mense Octobri supra millesimum quingentesimum) rursus ad Centenum hominem sacratum misit Consaluus, qui ab eodẽ flagitaret, vt transeuntem impedire nollet: alioqui, si ad pugnam compelleret, quicquid inde manaturum esset detrimenti, eius integram penes ipsum culpam fore. Hunc castra introeuntem Reginus Archipræsul, qui antea ad Centenum fugerat, capi iussit. Erat Didacus eo tempore ex longa febri adhuc æger, & lecto decumbens, tamen rebus quanquam interesse præsens, & quæ necesse erant coram administrare non posset, per Duces tamen internuncios q̃, quod in rem erat, expediebat, & ea imprimis nocte contrahi milites in castra iubebat. Id vbi cognouit Consaluus, existimans remotiore ab cæteris loco tabernaculum Centeni esse, sperans q̃ furtim per circuitum in id perueniri posse, Acostanum cum viginti Sclopettarijs eò clam mittit. Nec prima fefellit opinio, antè venientem, quam sentiri posset: sed vbi tabernaculo immineret, à quibusdam, qui id

Acoſtanus Centeni caſtris tumultum infert.

aduerterant, repentè magno clamore arma inclamata ſunt, cœptũq; eſt magno militum numero eò concurri: quamobrem Acoſtanus, vt incaſſum veniſſe ſe vidit, Sclopettarios exonerare Sclopetta iubet, quorum improuiſo crepitu tanto terrore diſcurſuq; caſtra fluctuarunt, vt multi cateruatim diſſolutimq; vagabundi inter ſe ruerent, plurimi armis haſtiſq; relictis in pedes ſeſe conijcerent. Ita concitatis caſtris damno necillato nec accepto ſe Acoſtanus recepit. Poſtridiè, præparatis in pugnam ad eum diem vtriſque, ſummo mane amplifico ordine è caſtris in planiciem acies proceſsêre. Centenus enim partim numero, partim hoſtium inter ſe diffidentia maximè ad prælium rẽ deduci petebat, quum præter ingentes etiam ſuorum ſpiritus hanc etiam ſpem concepiſſet, ſimulac procurſum eſſet, magno numero hoſtes ad ſe trãſituros, in medioq; diſcrimine Ducẽ relicturos: idcirco per Duces præfectosq; magnis cohortationibus ſuos animarat, vt impauidè vltimam pugnam capeſſerent, vlciſciq; tot ſimul priuatas cognatorum atq; affinium cædes, tot ſimul publicas oppreſſæ Prouinciæ ærumnas,

Acies inter ſe in planiciem deſcẽdunt.

nas, deuocantesq; ad vindictam omnium bonorum lachrymas properarent, & eò libentius, quòd pro æquitate, pro omnium liberatione aduersus latrones raptoresq; sibi pugnandum scirent, qui præter ora ac vultus nihil humanitatis haberent, feritateq; & omni furore belluas expressissent. E diuerso Cõsaluus, nec die nec noctu quiescens, quũ quotidianis suorum transfugijs maiore luctu in dies obrueretur, vt vix vllam spem, vix vllum animum haberet, prælio cõmisso vel miseriam subita morte victus finire statuerat, vel noua victoria omnium in se odia sistere: & quos haberet, milites confirmare: & quanquam in prælio longè miserrimi euentus discrimen proponeretur quod longè militũ numero, fide, & rerum bellicarũ apparatu vinceretur, id tamen se dignũ putabat, vel cum magno periculo anteactæ militiæ fortunæq; honorem tueri, & mori potius, quã abs Ducibus suis semel victo præ metu cedere: plurimum adhæc trecentis Sclopettarijs confidebat, qui illum in omnibus bellis sectati, in armis durati erant. Primam aciem ducebat Caruaial, non tam suis inuisus, quam victi

ſemel Centeni memoria Centenianis metuendus; equitibus eo die Conſaluus ipſe præfuit vna cum Cepeda Ephoro, & Ioanne Vellæo Queuara; pedites Acoſtanus, Baxicouus, Ioannesq; Torræus duxêre. Apud Cẽtenianos equitatum Petrus Rius, Hieronymusque Villega, ferente Regium ſignum Didaco Aluaro: peditatum Franciſcus Retamoſius, Ioannes Vargas, Negralius, Pantous, & Lupus Suniganus regebant: verum his omnibus ſuperior Centeni vices obibat Aloyſius Riuerius, quum æger ille pugnantibus, vti maximè cupiebat, intereſſe non poſſet. Hunc in modum quum magno tubarum ſtrepitu magnorum inſtar exercituum acies gradum inferrent, ſpaciumq; inter vtranque tantum quingentorum paſſuum intereſſet, Caruaial, qui primis intẽtus aderat, phalangẽ reſiſtere haſtis in ſublime erectis iubet, propinquantibus interea Centenianis quadragenta Sclopettarios è corpore detractis emittit, qui prælium irritarent, hoſtemq; propius elicerent. His ex Centeniano agmine par Sclopettariorum numerus occurrit, qui dum concurrendo inter ſe tumultuantur, interim conſiſtere

Caruialis magna & callida peritia.

ſtere reliquos Caruaial conſpicatus, modeſtè progredi decem paſſus ſuos iubet, vt, pellectatis ea ratione hoſtibus, præparatam omnium tormentorum procellam infunderet. Centeniani eam progrediundi cunctationem ab metu aliquo proficiſci exiſtimantes, canentibus ſignis alacriter omnes propinquare & adoriri cœperunt, quos imminentes et intra globorum contactum Caruaial vbi ſe adeptum vidit, tormentorũ magiſtris ſignum dat propoſitæ rei faciundæ. Tum verò horribili ſonitu elibratæ glandes tãtam hominum ſtragem ac ruinam cum terribili armorum contuſorum fragore, & diſſiliẽtis in ora vultuſq; ſanguinis tetro fœdoq; aſpectu peruadentes Centenianis intulêre, vt poſt ſecundos ictus ante pugnam ordines diſſringerentur, & plæriq; arma abijcientes effusè profugerent, pauci ad hoſtes peruenirent; quãquam Franciſcus Retamoſius ſollicitè ad omnes diſcurſans, & rauco clamore intonans, morari, agereq; in pugnam inclinatos conuerſoſq; illatis etiam verberibus, fruſtra conaretur: Soli verò equites impigrè adorti atrociſſimum excitarunt certamẽ; partimq; ſuo, par-

Pugna inter Conſal. & Centenium cruenta.

Centenianorum peditum ſtrages & fuga.

tim hostium sanguine madentes ac efferi, ad ipsum Consaluum peruenerunt, & equo ipsius transfosso in magnũ vitæ discrimen adduxerũt; cœpissentq; aut interfecissent haud dubiè, ni & ille intrepidè se in pedes pernix excipiens gladio circunstantes fortiter arcuisset, & egregiæ virtutis prætoriani constantissimè defendissent. In eo etiã Ducis periculo cæteri Duces non defuere, quin inducto Sclopettariorum manipulo opem ferrent; qui ex obliquo inuadentes, quũ infusis equorum hominumq; lateribus mortiferis pilulis, quoslibet trucidando deijciendoq; ostendendæ virtutis locum eriperent, æstuantem primo impetu Consalui aciem confirmarunt, & circunstante interim peditũ passim fugientium tumultu, equites, ne circumuenirentur, metuentes, fugæ equos dare compulerunt. Ea in pugna Consaluus ex quingentis, quibuscum hoc die conflixit, centum optimæ virtutis milites desiderauit, ex Centenianis cecidere amplius trecenti, quorum numerus ad pugnam euntium millè viros superauit. Inter hos ipsi fuere Duces ferè omnes, quos ordines deserere fugereque puduerat; ad vltimum

Consaluus equo deiectus fortiter se tuetur.

mum hortantes suos ac retentantes, præliumq́, quam diu possent sustinentes, cæsi occubuêre Aloysius Riuerius, Retamosius, Lupus Suniganus, Negralius, Pantous, Didacusque Aluarus, qui signum suum pertinacissimè defenderat; ac nisi vita discedente reliquerat. Centenum magna baiulorum diligentia celeritasque lectica deportatum conseruauit. Caruaial fugientes multum diuque insequutus est, maximè Archipræsulem Cusconicum consequendi caussa, cui ante alios, quò prælio interfuisset, magistratus erat, quem vbi consequi non posset, pernicissima fuga euadentem, animi dolorem in captiuos exercuit, & Ferdinandum Baxicouum, quod in ea Centenianorum equitum irruptione statim ad hostes proclamata deditione transisset, victoriamq́, propè inuertisset, obuiã sibi factum, ei hilari ore arridens, & compatrem etiam (vti erat) per iocum appellans, in crucem agi iussit. Hæc victoria militum labassantem haud dubiè fidem Pizarro aliqua ex parte restituit, quos maiore iam spe obligatos, vt obstrictiore officio sua hu-

Ducũ Centenianorũ virtus ac cades.

Caruaialis in Archipræsulem Cusconicum ira.

Ferdinandus Baxicouus ridicule & per iocum ab Caruaiale sustensus.

manitate arctius sibi deuinciret, & nutantium etiam gratiã redimeret, cæsos sepeliendos, & saucios suis sumptibus percurandos curauit, captiuorum etiam plæramque partem benignè omnes affatus, aureos q; montes pollicitus, si sibi fideles in posterum permanerent, ad sua signa (quod illi fatale fuit) traduxit: dehinc ad pecuniam contrahendam, milites que imprimis adducendos Duces ad diuersas vrbes misit, Dionysium Bouadillam Argyropolim, Didacum Caruaialem Arecupiam, ipse Cusconem profectus est, & se ad instans bellum cum Præside gerendum parare cœpit. Ille, dum hæc geruntur, ab Aldanio de Regio occupato, ac Consalui discessu, ipsius que militum tumultu, ac transfugijs certior factus, classicula cum quingentis conscensa Panamaide soluit, ac secunda tempestate vsus Tumbæum appulit. Ibi omnibus ex partibus innumeras ferè literas accepit, certatim studia sua operamque Maiestati deferentium, & ad similem humanitatem ostendendam singulis respondere, & gratias agere haud grauatus est. Adhæc incredibili ardore milites quotidiè ad ipsum cõfluebãt, ita

Consaluus Cusconem venit.

Præses Tũbæum appellit.

ita vt omnino superuacaneum esse videret ab alijs Prouincijs auxilia adduci; mitteretque idcirco ad eos Duces, quos per legatos de mittendis auxilijs sollicitarat, nuncios, ne quid negoci susciperent, nunciaturos: dehinc militibus in cohortes centuriatis, & Petro Hinosæ summa imperij delata, eoque Cassamalcam ad Didacum Moram & reliquos, qui isthuc magno numero conuenerāt, adducēdos misso, Trugillū profectus est, statuensque non antè Regium peruenire, quam alterutro euētu bellum compositum esset, edixit, vt, quicunque regiæ militiæ nomina dare vellent, in Sausanam vallem conuenirent, ipse eôdem contendens Cassamalcā processit, assumptisq; qui huc conuenerant (amplius mille viri erāt) discedens breui in Sausanam vallem peruenit. Eodem die Regio digressi adfuerunt Benitus Caruaial, Gabriel Roas, & Iannes Alphonsus Palominius, qui, vt, ea in parte curaret, Aldanium Regij reliquerant. Nec multò pòst de Centeni clade peruenit fama contra omnium ferè expectationem, qui tantam in Centeni viribus fiduciam posuerant, vt eundem debel-

lando Pizarro sufficere credidissent, suasissentque ob id Gascæ Præsidi, ne haud necessarios parandis copijs sumptus subiret. Is nuncius quanquam haud secus, quam par erat, Gascam percelleret, nullum tamen palam doloris metúsue indicium dedit, sed generoso quodam animo parui id facere, & breui vlturus videbatur. Redacto dehinc in nostros ordines exercitu, Sausana valle egrediẽs Cusconico itinere Andequærias peruenit, vbi continẽti imbrium tempestate humectatis ac putrefactis locis exceptus, magnas angustias subijt. Milites enim, cũ nusquam siccandi locus esset, oblanguidi aëris & carnosi soli humoribus cõflictati, vulgatis dysenteriarum ac torminum morbis discruciari cœperunt, quibus tamen admirabili humanitate Gasca succurrit, Francisco Rochaiusso diligentissimam ægrorum rationem agere, cuius etiã industria, velut in priuatis ædibus suffoti, paulò pòst ferè omnes conualuerunt. Magnũ etiam gaudium exercitui affecto attulit Petri Valdiuiæ aduẽtus, qui ad id vsq; tẽpus cũ Chiliacis ad mare pacificũ (quò ab Cusconico prælio captoq; maiore Almagro fuisse missum

Angustia in Præsidis exercitu ad Andequærias, & hinc singularis prospectus ac cura Præs.

Petri Valdiuiæ ab Chiliacis reditus ad ferendam Præsidio opem.

missum diximus) perpetuum bellũ gesserat, sæpe cum indomitis populis acie dimicarat, sæpe & ipse in summis periculis nũc vi nunc fraudibus Barbarorũ appetitus fuerat; vixq́ demum multo labore aruo occupato Hispanorum Coloniã statuerat ac cõfirmarat: quade re tantam apud omnes virtutis opinionẽ habebat, vt illum modò Francisco Caruaiali opponerent, cuius solertia audaciaq́ Consaluo tot victorias partas, & illam imprimis aduersus Centenũ omnes fatebantur, atq́ ante alios maximè metuebant. Paucos post dies ipse Didacus Centenus cũ triginta viris è prælio profugus accessit. Horũ aduẽtu miro applausu accepto, Andaquærijs ad Apurimiũ amnem mota sunt castra. Is duodecim passuũ millibus à Cuscone fluit, in ijs montibus ortus, qui inter hãc Regiũq́ interiacent; quem vt transirẽt, vsitato more pontes tomicis ad vtramq́ ripã vncis mordentibus destrictis tribus in locis ad fallendum hostẽ struebãt. Tandẽ apparuit ad Catabambam transitũ fore, adductoq́ eõdẽ agmine, cũ distẽti funes essent, repẽtè exploratores Cõsaluiani aduolantes discinderunt. Hac re percul

Caruaial ab Gascanis timetur.

sus

sus Gasca ad locum cum Petro Valdiuia, alijsq; Ducibus accelerat, statimq; visitatis tignorũ classiculis equos trãsnare iubet. Ea ratione ante alios antecedẽte Polo Hondegarto, cum aliqua multitudo in aduersam ripam euasisset, ad Pizarrum celeriter perlatum est transijsse paucos, & eosdem flumine ab alijs seiunctos leui labore deleri posse. Ad id negocium mittitur, confestim cum trecentis Acostanus; sed illi, qui transierant in eo periculo sibi non desunt, editum locum capiunt, Barbarosque Hispanis adiungunt in fronte dispositis: quem hominum numerum eminus conspicatus Acostanus, eò quod se imparem existimaret, plures acciturus abscessit, quod spacium nactus, Gasca pontibus interea refectis magnam exercitus partẽ traduxit, & in edito monte castra posuit; quod si inuadere nõ dubitasset Acostanus eos, qui primò transgressi erant, vel ipse cum omni militum robore aduolasset Consaluus, nullo negocio Gascaingens accepisset detrimẽtum. Pizarrus, vbi amnem hostes transijsse audiuit, Cuscone milites educens ad Saquissauanam oppidulum in lata planicie castra posuit,

Gasca Apurimiũ amnem transit.

Consaluus in Præfi. Gascam.

fuit, quæ ad latus tergumq; flumine ac palude inaccessa, duntaxat angusta via è montibus discedentibus adiri poterat. Erant illi tormenta sex, quæ aduersus eas viæ angustias disposuit, & milites noningenti, quorum magna pars ex captis Centenianis conflata erat, quos mortis metu flagitanti volentiq; sese adiungentes exitioso planè consilio ad se traduxerat, vt acceptam priore pugna cladem & ignominiam noua perfidia plenissimè vindicarẽt: tum quidem, quanquam longè militum numero hostes superiores erant, nulla tamen re ex veterana suorum virtute & vnius Caruaialis experientia, haud dubiè inferior iudicari potuisset (si quicquam humanæ coniecturæ certum est) si vel minimum vlla militum fides, in Ducemq; charitas vtendæ virtutis peritiæque locũ fecisset. Per aliquot dies præliola nonnulla per Sclopettarios concursim & tumultuariè sunt conserta, sensimq; propinquans Gasca & ipse in vicina planicie montana castra transtulit, quamobrem veritus Pizarrus, ne tormentis obrueretur, post montem editissimum planiciei vicinum suos recepit.

Consaluus Præsidis castra inuadere cogitat, sed omittit.

cepit. Proxima nocte ipse ac Caruaial tripartito Gascæ castra inuadere decreuerunt; sed militis vnius (quem id ad hostes, vti acciderat, detulisse existimabant) transfugium salutare & certissimum ad victoriam cœptum interpellauit. Gascani enim frigoribus montanis ac fame enecti, indiligentes plærunque noctu stationes ac vigilias agebant, nocturnæ pruinæ intolerabili infestatione vsque adeò oblanguescentes, vt interdum vix hastas atque enses manibus tenere possent, & ea imprimis nocte, qua trãsfuga irrupturos Cõsaluianos nunciarat, magno in metu versarentur, sollicitéque lucem expectarent. Nixdum sole exorto magnus tubarum clangor, & conuallium resonitu terribilior Sclopettorũ crepitus est auditus, ab his Consaluianis editus, qui secundum montium decliuum quærendæ parandæque in hostium castra viæ intenti erant. Extemplò Gascani, percurrẽte tota castra hostilis aduẽtus clamore, arma corripiũt, statimq; qui omnium expediti & ad tales casus maximè instructi erãt, Ferdinãdus Mexia, Alphõsus Palominius, Valdiuia & Aluaradus cũ trecentis Sclopet-

Gascanorũ calamitas & angustia.

Pugnæ ad Saquissauanam initium.

Sclopettarijs in occursum se venientibus dedêre, ita vt glandibus acriter immissis Consaluiani nonnihil pedes referre cogerentur. Dum inter hos crebrò displosu certatur, Gasca eadem montium declinitate, & conualli protectus, ad angustias acies adducit, celeriterque omnes non conseruatis ordinibus, equos manibus per frœna deducentes, in planiciem descenderunt. Ibi duæ equitum alæ constitutæ, intra quas omnis peditatus prominentiore paulum loco receptus est; sinistro in cornu versabantur Ioannes Saiauedra, Didacus Mora, plurimique alij peculiaribus equitum turmis præfecti; Dextrum datum erat Benito Caruaiali, ac Petro Cabrerio; peditum cura incumbebat Martino Roblesio & Ferdinando Dolmo. Ante dextrum cornu cum velitibus perequitabat Alphonsus Mendocius, cui Didacus Centenus astabat, vt ad omnem necessitatẽ subsidio laborantibus adferẽdo expediti intentiq; essent. Hunc in modũ Gascanis in prœlium procedentibus, Cepeda, ex Consaluiano agmine cum multis alijs profugiens, sese applicuit; ad quos insequẽdos

Petrus

Petrus Martinus missus vsque adeò feruidè institit, vt vulnerato Cepeda omnes in summum discrimen venturos appareret, ni ad profugos recipiendos & ipse Gasca equites emisisset. Inter hæc Consaluus, Caruaiale cum veteribus Ducibus Queuara ac Torræo peditatum regente, & Acostano equitatui præfecto, se suo quietus loco tenebat, vt simili arte, qua Centeni exercitum profligarat, Gascanos, in iniquum locum semper propinquando pertractos, tormentis, repentè effusis prosterneret. Verùm Hinosa pedetentim suos ire iussit; interimq; Valdiuia strenuè adequitans, vt acerrimè Sclopettarij règlandibus gererent, solertissimè curabat: ipse etiam Gasca maioribus tormentis continentissimè intonari iubebat. Dum hunc in modum gradatim procedendo propinquatur, ex Consaluianis alij alijq; transfugiebāt; quamobrem Centenus Mendocius q, ad quorum partes transfugia inclinabant, Hinosam perceleres internuncios rogant, vt signa & acies sistat, vel nullo enim prælio frequentissimis hostium transfugijs victoriam in manu esse. Erant hi perfugæ ex eorũ ferè numero, quæ

Consaluianorũ transfugia.

qui iampridem pro Centeno pugnantes victi, & ab Consaluo in suam aciem recepti, militiam quidem, non animum ac fidem, immutarant, in eoq; extremæ necessitatis momẽto bonam vindicandi sese opportunitatem rati, integris sæpe manipulis ordines deserentes ad Cẽtenianos transcurrebãt. Accidit, vt hos sequuti numero circiter triginta simili modo ab designata statione effugerent; ad quos insequendos dum alij post terga aduolant, alij se transfugientibus aggregare properant, cæteriq; eo fœdæ confusionis aspectu terrentur ac trepidant, perturbati demum sint ordines; idcirco militum numero multùm extenuato, & pluribus in locis profugorum fuga acie hiscente, Consaluianis animi ceciderunt, parsq; Cusconẽ, pars ad hostes, pars aliò diffusi dispalatiq; fugere cœperunt. Ita Consaluo vndique destituto, omnis spes prolapsa est, nec aut pugnandi aut fugiendi mens erat, ad proximosq; conuersus, Ergò, inquit, si ad Regem properant omnes, agè & nos eôdem tendamus; quæ verba excipiens Acostanus, minimè ita Imperator, quin, vt pristino honore fortibusq; viris dignum, moriamur, & in

Consaluianorum varia fuga.

media arma ruamus, non inultè casuri. Verùm Consaluus in eo vltimo infortunio, memoria veræ salutis & miserrimæ animæ in sollicitam mentem redeunte, testatus Christianè mori præstare, quàm cruento obitu veteris gloriæ dignitatem tuendo & animæ & corporis in extremam & inemẽdabilem perniciem præcipitare, accito Petro Villauicentio, quem inter hostium primos de facie noue-

Consaluus se dedit & captiuus Centeno custodiendus traditur.

rat, sese dedidit; ad Gascamq; perductus, Centeno ad custodiam traditus est. Eodem tempore Franciscus Caruaial, qui equum in fugam adegerat, in canneto se occulere ea nocte sperabat; sed in paludẽ cum equo prolapsus, tenaciq; luto implicitus, ab suis comprehensus, & ad hostes perductus est: pari infortunio in potestatem venêre ab insequentibus equitibus retracti Ioannes Acostanus, Ioannes Vellæus Queuara, Peris atq; Torræus,

Caruaial ab suis capitur.

quod accidit anni quadragesimi octaui die lunæ Paschatis octauam sequente. Post biduum pronunciata in Consaluum Pizarrum est sententia, quòd vel sua confessione perduellionis reus esset, vt capite plecteretur, præcisumq; Regij clatrata in fenestra spectan-

Sententia in Pizarrũ lata.

ctandum proponeretur, epigraphe fronti affixa, Id esse caput Consalui Pizarri, qui bellum seditiosè suum in Regẽ suscepisset; ædes eius Cuscone deijcerentur, saleq; conspersis cippus cum eadem epigraphe imponeretur. Hæc sententia eodem die in illũ perfecta est: moriturus serica tunica auro textili elaborata, similiq; huic galero indutus, satis animo constante prodijt, gladiumq; incussum impauida ceruice excepit. Cẽtenus & captum & mortuum summa humanitate prosequutus est; captum honorificè semper tractauit, neminem in illum aut petulans aut insolens dictum obijcere passus est; mortuum Cuscone digno sepulturæ honore efferendum curauit. Eodẽ die Caruaial artibus dissectis quadripartitus fuit, in plærosque alios gladio animaduersum: atq; ita hi duo, qui vel inuito Cæsare Prouinciæ imperiũ cõceperant, tyrãnideq; & omni vi obtinere sperarant, illudente fortuna et magno Deo non vltrà ferente, ab omni splendore deiecti nõ seras tot scelerũ cædium q; imprimis pœnas senserunt. Nec huius victoriæ lætitia dudum Centenus perfrui potuit, fato interceptus, quũ nunquam ab diu-

Consalus moritur.

Centeni in Consaluum capiũ mortuumque humanitas

Caruaial quadripartitus.

Centeni mors.

turno morbo firmam valetudinem recuperare potuisset. Hinc, Ducibus varias in locorum plagas dimissis, & ipso Valdiuia ad Chiliacos regresso, Gasca Regium venit, pecuniamq; ad impendia belli compensanda, quæ noningenta aureorum nummum millia superabant, magna diligentia cõgerere cœpit, succreuitq; tanta ex diuersis locis, maximè ex Charcantum ac Potosij fodinis, auri argentiq; aduecti copia, vt præter sarta impendia quindecies centena ducatorum millia superarit. His rebus constitutis, & ijs etiam diligenter curatis, quæ ad iurisdictionem, priorumq; Cæsaris cõstitutionum exequutionem in leuandis indigenis pertinerent, gratijs omnibus actis, vnà cum thesauris nauem conscendens, sub annum quinquagesimum Panamaidem peruenit, vbi incautum aliud discrimen inopinatò ferè oppressit. Eo tẽpore, quo Gratiæ inter Vatimaliam & Nicaraguam concilium, vti dictum est, constitutum esset, ei tum Prouinciæ erat Præfectus Rodoricus Contrerius, quem secundum latas Cæsaris cõstitutiones seruis indigenis Ephori spoliarunt: qua ille iniuria permotus, susceptain Hi-

Gasca Præses Regium venit.

Gasca Præses Panamaidem redit.

in Hispaniam profectione, ad Cæsarem eius facinoris indignitatem detulit, grauiterque eam suis meritis gratiam persolui conquestus est; verũ quum constitutionũ decretis firmissimè staretur, Ferdinandus ac Petrus Contrerij Rodorici filij non aliam Patris caussæ æquitatem adhiberi indignati, partimq; militibus Conſaluianis, è Peruuia profugis, partim ijs, qui expectata mercede ab Gasca defraudati huc indignabundè concesserant, confirmati, concitante ante alios Ioãne Bermæo, Prouinciam inuadere ipsi decreuerũt, Antistiteq; inter frutillorum lusum per insidias obtruncato, quem suis partibus maximè aduersari existimabant, & nauigijs aliquot captis, meridionalis pelagi littus legere ad intercipiendum Gascam Panamaidẽ nauigantem cœperunt. Sed vbi ex agricolis quibusdam ad vrbem vnà cum regijs thesauris aduenisse audierunt, anchoris cõstiterunt ad tenebras vsq; certissimaq; opprimendi Gascæ & thesauris potiundi opinione adducti, nocte cæca nemine demorante in vrbem peruenerunt. Verũ ibi, vt Gascam paucos ante dies Theonymam abijsse auditum fuit, thesau-

Rodorici Contrerij apud Cæsarẽ querela.

Filiorum Contrerij temerarius & iuuenilis motus.

rarium regium Martinum Ruitium Marchenũ adorti sunt, spoliatisq; amplius quingentis aureorũ millibus, statuerunt, vt Ferdinandus Theonymam properè contenderet, Bermæus cum viris centum procul Panamaide ad ferendum subsidium excubaret, Petrus nauigiorum interea curam gereret. Id consilium per celeres nuncios (quos thesaurarius festinè emiserat) mox ad Gascam perlatum fuit, is ad præmonendos ciues, & ad arma concitandos Theonymã Franciscum Seguram mittit, ipse qua potest celeritate subsequitur, & cum oppidanis iam ante ad famam eò perlatam præparatis egressus, Panamaidem contendit; Verùm tum Bermæus ab erumpentibus Panamaitis debellatus ac cæsus erat, & Ferdinandus Contrerius illos in se properare audiens, desertis suis, profugit, ac dum per amniculos riuosq; isthuc frequenter occurrentes transnare cogeretur, in vndis perijt; quorũ casu percepto Petrus Contrerius nauigia relinquens et ipse exigua cymba profugit, putaturque, quod exinde conspectus sit nunquam, ab Barbaris interfectus. Ita ad quietem Prouincia velut antè reda-

Filiorum Contrerij.

redacta, Gascain Hispaniam traiecit, atq; Barcinonem prouectus, inde in Germaniam ad Cæsarem contendit; posteaque virtutis & operæ fœliciter nauatæ gratia, Palentinum præsulatum in Bætica est adeptus, quũ paulo antè Antonius Mendocius, Mexicanorum prætor, Peruuiæ Prorex ab Cæsare declaratus fuisset.

FINIS RERVM PERVVINARVM.

Nihil habet S. Romanæ Ecclesiæ fidei contrarium aut Reipub. offensiuũ quòd testor Sebastianus Baer Delphius insignis Colleg. Ecclesię S. Mariæ Hantuerpieñ. Plebanus.

RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HIS LIBRIS CONTINENTVR, INDEX.

A

Adulteria maximè impia & eorum supplicia 29.b
Agri Peruuini maritimi 16.b
Agricultura Peruuinorum mirabilis 26.a.&.b
Albericus Veſputius Pariæ & Braſiliæ inuentor
Almagrus ad Ambuſtos veniens oculum amittit 12.b.in Peruuiam venit 63.a.&.b.egregiè ſe gerit aduerſus Aluaradum 74.a.paciſcitur cum illo 74.b.tumultuari Cuſcone incipit 78.b. cum Pizarro diſsidij initium,ibid. iuſiurandum horribile 74. a. ad Chiliacos profectio memorabilis 79.b.Cuſconē contra Sacramentum redit 81.b. Prætor accipi vult 82. b. Cuſconem irrumpit ibid. Pizarri fratres capit,ibidem.ſuperbia eius 85.b. reſpuit Pizarri pacem 86 a. ad colloquium venit 88.a.Cuſconē fugit 89.a.capitur 92.b. moritur 94.b
Alphonſus Aluaradus Pizarro venit auxilio 84. b. Cuſconem mittitur & in itinere cum Barbaris pugnat,ibid.ab Almagro capitur 85. a. erumpit ex carcere 87. a.ira in Almagrum 92.b.virtus, ibid.conſtantia aduerſus Almagrum iuniorem & bellum in eum parat 105.b.& 106.a
Alphonſus Mendocius Centeno ſe adiungit.
Alphonſus Torus: vide Torus.
Aluarus Ephorus ad Velam in Hiſpaniam auehendum deligitur 146. a. ſtudet cum Vela in gratiam redire 147.a.veneno ab Conſaluo ſublatus 197.a

Anguſtia in Præſidis exercitu ad Andequæriaſ. 229.b
Antonius Altamiranus ab Conſaluo innocenter cæſus 217.a
Antonius Solartes ægrè vita donata ab Vela in carceres conijcitur 125.b. inuito Vela ab Ephoris liberatur 126.b
Apurimia amnis 31.a
Arborum quarundam adipis vis 19.a
Arecupia vrbs 23.a
Argyropolis vrbs 32.b
Argyropolitani Conſalui imperium agnoſcere nolunt, & Proregem Velam acceptant 128.a.in Conſaluum inſurgunt 165.a
Arias Maldonatus ab Conſaluo cæſus 138.a
Atabálibas Gynacauæ filius 38.a. Quitonicum regnum à fratre Guaſcare petit 38.b.bellum in Guaſcarem ſuſcipit 39.a.capitur, ibid.& 39.b.erumpit è carcere,bellum inſtaurat,& vincit 39.b.& 40.a.b. dona ad Pizarrum mittit 47.b. ſuperbia & ſuperbum ad Ferdinandum Pizarrum reſponſum 49.b. & 50.a in prælio capitur 57.b.murmurant in illũ Hiſpani 59.a. Guaſcarem frarrem interfici iubet 62.a. querela ad Ferdinandum Pizarrum abiturum 64.b. mors 66.a
Aues marinæ Peruuiæ 25.a
Auancæus amnis 31.a
Auguſtinus Sarates & Antonius Riuerius legati ad Conſaluum mittuntur ab Ephoris 149.b. capitur ille 150.a
Amazones 24.b
Alphonſi Montemaioris ad Velam liberandũ conſilia 146.a.b. captus in Quitonico prælio & ad Chiliacos miſſus in itinere ad Mexicanos profugit 197.a. & b

B

BArbari quibus inſidijs ducentos equites circumuenêre 83.a. Regium obſident & pugna eorundem

dem 83.b
Balthasar Lausanus ab Consaluianis capitur 137.b
Baxicoui crudelitas in Panamaitas 157. a. ridiculè & periocum ab Caruaiale suspensus 228.a
Bellum in Velam Cuscone paratur 126.b
Benitus Caruaial Ilani Suuaretij frater 151.b.in ipso mortis articulo &c.155. a. apud Cõsaluum militat 194.a.fuga ab Consaluo 221.a
Blascus Nonnius interfectus 9.b
Blascus Nonnius Vela Prorex:vide Vela.

C

CAussa disidij inter Velam & Ephoros 125.a
Cærimonia qua regium sigillum recipitur 124.b
Centeni vita & mores 164.b. Almendram Consaluianum Præfectum confodit 165. a. Argyropolitanorum Dux creatur 166.a.oratio ad eos,ibid.b. Argyropolitanos educit 169. b. Toro callidè cedit 171. b. Torum reuertentem insequitur & nouissimis detrimentum infert 172.a. eius ad Caruaialē legati 186.b. diu in antro delitescit 186.b. emergit 214. a. Cusconē capit astu 214.b.vincitur et fugatur ab Cõsaluo 227.a Consaluum captum & mortuũ humanitas & mors eius 234.a
Centenianorum peditum strages & fuga 217.a
Centenianorum Ducum virtus & cædes 228.a
Cepeda Ephorus in ipso pugnæ articulo ab Consaluo tranfugit 232.b
Caruaial:vide Franciscus Caruaial
Charcantes populi 32.b
Chiliaci populi,& de his mira 23.b
Christophorus Columbus primus noui orbis inuentor 9.a
Cinnamomum vbi & quomodo crescat 97.a
Cilicuchima ad Atabalibam captum venit 63.a
Coacci populi 15.b
Collaones populi 32.b

Con-

Coniuratio in Almendram 164.b
Conſalui Diæ in Nonnium Velam proditio 134.a interficitur ab Barbaris 160.a
Conſaluiani Ephororum Legatos ab caſtris auertere ſtudent 149. b. poſtulata eorum & mens 150. b. confidentia et ſuperbia. magno numero ab Conſaluo profugere incipiunt 220.a. varia eorum fuga ad Saquiſſauanam 234.a
Cõſaluus Pizarrus ab Almagro capitur 83.a. erumpit ex carcere 87.a. inſidias Almagro ſtruit, ibid. b. expeditio eius in cinnamomi terram 96. b. reditus eiuſdem verè heroicus & admirabilis 99. b. Cuſcone Imperator in Velam ad Cæſaris conſtitutiones impediendas creatur 126. b. ad bellum gerendum promptitudo & diligentia 127. b. apparatus 129. b. Proteſtatio aduerſus Velam & decreta 130. b. ætas. 131. b. Cuſcone in Velam egreditur 132. a. trepidatio eius & initium tyrannidis 135. b. ad Regium venit 151. b. per vim metumque ab Ephoris ſummam Præfecturam exprimit 152. b. introitus in Reginam vrbem magnificus, ibidem. clandeſtinus metus 154. a. ad iuriſdictionem ſubuertendam conatus 160. b. affinitas cum Sarate, ibidem. in Velam proficiſcitur 161. b. eum inſequitur fugientem, ibid. Quitonem peruenit & facta ibi eius ſcelera 162. a. pudendum eius facinus 163. a. in Centenum cura 174. a. fallaces ad Panamaitas literæ 178. b. nothus eius 180. a. ad eliciendum Velam aſtus 192. b. in captiuos Velanos inſolita humanitas 197. b. eius victoria in Velam 196 b. Nonnium Velæ fratrem in gratiam recipit 198. a. ſtulta eius ſpes & opinio 198. b. Regium redit & ibi tyrannidem inſtituit 199. a. angor ob Præfidis aduentum 203. a. ratio cur bellum in Præfidem ſuſciperet 211. b. ſerò ſapere & ſibi metuere incipit 216. b. Regio deſperabundus abſcedit 221. b. Arecupiam venit 223. a. Centeni literas ante lectionem exurit 224. b. in Centenum pergit, ibidem. equo deiectus fortiter ſe tuetur 227. b. in Præfidem caſtra ad Saquiſſa-

quissauanam ponit 230. b. destitutus à suis se dedit & capite plectitur 233. b. & 234. a
Conspiratio ad Velam liberandum 146. b
Conspiratio in Aldanium detecta & consperatorum pœna 176. a
Conspiratio in Caruaialem 189. b
Conspiratio in Caruaialem altera & conspiratorum horribilis pœna 191. b
Cusco metropolis Peruuiæ ab Hispanis occupatur 68. a
Cusconici Caruaialem ad se inuitant 177. a

D

DEcreta in Hispanorum licentiam lata. & ob ea in Prouincia tumultus 121. a
Didacus Almagrus: vide Almagrus.
Didacus Almagrus senioris Almagri filius 100. a. Pizarro interfecto Prouinciæ imperium occupat 103. b. Petrum Holuinum insequitur 108. a. ad Vamantiacum tendit 102. a. responsum eius ad Vaciani literas 112. b. fugit, capitur & interficitur 117. a. b. & 118. a
Didacianorum contumacia & implacabile in Pizarros odium 93. b
Didacus Cutus Velanæ classis præfectus 144. b. in Germaniam pro Vela ad Cæsarem contendit 157. b
Domus Peruuinæ 22. a
Didacus Lupus Suniganus, ab Consaluianis captus, ab Aldanio dimittitur 173. a. mors eius in pugna ad Collaones 228. a

E

EQui Peruuiæ & nouo orbi penitus incogniti, maximusque ob id hominum terror 26. b
Ephori Peruuini Concilij 122. a. Regium veniunt 124. b. ob Ilani cædem Velæ litem intendunt 140. a. trepidatio & sollicitudo ob Velã captum 144. b. promissa

missa non seruant 145. a. classem capiunt Velanam. 146. metus ob Consaluum 151.a

F

FErdinandus Cortesius Themistitanam subegit 9.b
Ferdinandi Magellani nauigatio 9.b
Ferdinandus Mexia Præsidem recipit 201.b
Ferdinandi Pauiagni periculum 208.a
Ferdinandi Pizarri & Atabalibæ colloquium 49.b ab Almagro capitur 82.b. dimittitur 88. a. in Hispaniam proficiscitur 64.b. & 96.a. virtus eius 90.b. in victos Didacianos humanitas 93.a
Ferdinãdus Torræus Velã dimicantẽ sternit 196.a
Fides Consaluo ab suis data 218.a
Filiorum Contrerij temerarius et iuuenilis motus & eorundem interitus 235.a. & b
Fodinæ ad Potosium repertæ 191.a
Franciscus Almendras Argyropoli ab Consaluo præficitur 163. b. inhumanitas sibi funesta 164. a. interficitur 165.a
Franciscus Caruaial Cuscone Almagro iuuiori se opponit 106.b. in Vaciani exercitu Præfectus summ⁹ creatur 111. b in pugna ad Vamantiacũ inusitata audacia 116.a.& b. mores & vita 132.a. absurda immanitas 152. auro vincitur 156. b. in Centenum destinatur 174.a. crudele facinus, ibid. b. cũ Toro simultas 176.b in Centenũ 186.b. acris in Cẽtenũ persequutio 187.a. in Lupũ Mendociũ 189.a. ab suo Sclopettario vulneratur 190.b. auaritia 191.b. ab Cõsaluo reuocat⁹ 208.b magna & callida in pugna apud Collaones peritia 226. b. ab Gascanis timetur 230.a. capitur & articulatim secatur 233.b.& 234.a
Franciscus Giro suffocatus 176.a
Franciscus Maldonatus ad Cæsarẽ in Germaniam pro Consaluo contendit 157.b
Franciscus Pizarrus 11.b. eiusdem angustia in littore explorando 12. a. deseritur ab suis in Galla insula 14.a

la 14.a. in Hispaniam ad Cæsarem proficiscitur 14.b. eius in Puna insula euentus 42.b. bellũ cum Tumbęi regulis gerit & eorum castra irrumpit 45.a. & b. oratio ad milites 51.a. Cusconem capit 68.a. cum Almagro initium diſsidij 78.b. Regium colit 78. a. obsidetur Regij ab Barbaris 84.a. ab Almagro pacem quærit 86. a. cum Almagro colloquium 88. a. Consaluum ac Ferdinandum dum in Almagrum mittit 98.b. conspiratur in eum 100.a. & b. miserabilis cædes 103.b

G

GAbriel Roas Cusconi ab Almagro præficitur 86.b. capitur ab captiuis suis 87.a. fugit ab Consaluo 221.a

Gaspar Roas ad Velam transfugere cogitat 136.a. ab Consaluo interfectus 138.a

Garzias Aluaradus Michaëliam capit, & quosdam Pizarrinos cędit 107.b. eius iurgium cũ Sotellio 110.a concipit Didacum iuniorem in cœna interficere, sed ipse deprehensus miserè cæditur 110.a. & b.

Gascanorum calamitas & angustia 231.b

Gigantes Peruuiæ, miraq; de his 19.b

Gometij Tordoi egregium factum 106. b. interficitur in Vamantiaci prælio. 116.a

Gometius Luna ob dictum ab Almendra captus & cæsus 164.a

Guascar Gynacauæ filius vnde dictus 38. a. in ipsa victoria capitur 40.b. & 41.a. legatos ad Franciscum Pizarrum mittit & eius opem aduersus Atabalibam implorat 46.a. eius ad legatos Pizarri querela & postulata 60. a. & b. interficitur 62.a

Gynacaua Peruuiæ rex, & de eo lectu digna 37.a

H

HErbæ Peruuinæ 25.b

Herbæ cuiuspiam vis ibid.

Herba

Herba Coca famem & sitim pellens 26.a
Hieronymus Caruaial ab Velanis capitur 139.b
Hieronymus Villega ab Vela fusus 160.a.ad Centenum ab Consaluo deficit 226.a.
Hinosa classi Consaluianæ præficitur 178.b.in Panamaitas acie progreditur 181. a. Panamaidem intrat & callidè Isthmum occupat 182.b.cum Verdugo pugna & in eum victoria 186. a. cur Mexiæ succensuerit 202.a.ad Præsidem ab Consaluo deficit 206.b
Holcades Consalui intercipiuntur 129.b

I

Ilescas Atabalibæ frater 62.b.obtruncatur 66.a
Ilanus Suuaretius Velæ Proregis recipiendi author 123.b.eiusdem cædes 139.a
Ioānes Acostanus classiarijs infestus 212.b.in Centenum mittitur 218.b. Cusconem venit & ab suis deseritur 223.a. Centeni castris tumultum infert 225. b. verba ad Consaluum se dedere volentem 233.a
Ioannes Benalcazar in Ruminaxim 68.b
Ioannes Errada in necem Francisci Pizarri conspirat 100.a.mors eius 108.b
Ioannes Illanesius Dux Velanus ad Consaluū deficit 182.b
Ioannis Ferdinandi ad cauendam suspicionem astus 219.b
Ioannes Peririus ab Cōsaluianis opprimitur 159.b
Ioannes Pizarrus interficitur 81.a
Ioanni Velasco manus præcisa 176.a
Ius ac licentia Hispanorum in noui orbis indigenas 120.b

L

Laurentius Aldanius ab Consaluo Reginæ vrbi præficitur 160.b.tēperata & callida virtus 172.b. in captiuos humanitas 173.a.in eum coniuratio 176.a. ad Præ-

ad Præsidem deficit 205. a. ad Reginum portum occupandum mittitur 206.b. insidiæ eius detectæ 212.b ad Reginum potum venit 218.b. Regio potitur 221.b
Legati Ephororum & postulata ad Velam 143.b
Leuantium vrbs 30.b
Literæ Cæsaris ad Consaluum 207.b
Literæ Consalui ad Centenum & Centeni ad eas responsum 224.a
Lupus Mendocius castra Caruaialis oppugnat 190.a. cædes eius 191.a
Lupus Sanchæus interfectus Cuscone 205.a
Lychengorma rex, cui Amazones parent 24.b

M

MArtini Dolmi & Paschasij Soti fuga 222.b
Martinus Roblesius Consaluum decipiens fugit 221.a
Mangonis Ingæ rebellio 80. a. Cusconem obsidet 81.a
Mare Peruuinum cur retrogradum 23.a
Melchior Verdugus Caruaialis aduentum fugit 175.b. admirabilis astus 183.b. Isthmum occupare intēdit 184.a. Theonymam occupat 184. b. Pugna cum Hinosa & vincitur 185.b. & 186.a
Mendocianorum fuga 190.b
Michaëlia vrbs 21.a
Militum duorum ingens audacia 221.a
Milites Consaluiani quales in nullo triumpho fuerunt 211.a
Mirabilis inter Consaluianos perturbatio 221.a
Mons Aetnæ Siculæ similis 72.a
Montes Arcabuxij 72.a
Montes Peruuiæ 16.a
Muliebris impotentię memorandū exēplum 175.a

N

NAuigia Peruuinorum ex tignis 42.b
Nōnius Vela instructas sibi insidias fugit 134.b

ab Consaluianis per insidias capitur 180.a. Palam ab Consaluo iugulatur 205.a

O

ORatio ad Velam Proregem deprecatoria Aluari Ephori 147.b
Oratio Centeni ad Argyropolitanos 166.b
Oratio Franciſci Pizarri ad milites 51.a

P

PAgacamus Peruuinorum Deus 33.b
Panamais Isthmi vrbs 10.b
Panamaitæ aduersus Hinosam arma capiũt 180. b cum Hinosa paciscuntur 182.a
Peruuia vnde dicta 2.a.qui inuenerint 14. a. & b. descriptio eius copiosa 16. a.& b. eius maritima pars pluuijs carens 16.b. Peruuiæ maritimæ flumina 17. a. littora aquis strata quomodo transnatentur 17.b.vrbes eius 20.b.& 21.a
Peruuinorum maritimorum idola 19.a.montanorum descriptio 28.a& b
Peruuinorum annales ex funibus 20. a. oues 27.a. venatio 27.b.pontes 31.b. equos maximè timét 26.b. eorum de sua creatione, de Deo, de diluuio opinio 33.a. & b.ars in liquefactionibus 28.b.sacerdotes 35.a virgines vestales 36.a. domini,ibid.naues 42.b
Peruuinorum regum diadema 36.b
Peruchus Aquirra innocenter suspensus 176.b.
Petrus Aluaradus in Peruuiam traijcit 71.b.et 72.a in Almagrum 73.a.in Vatimaliam redit 78.a
Petrus Cabrerius & Mexia per flammas erumpunt 184.b.& 185.a
Petrus Fauentius Arecupia fugit 166.a
Petrus Gasca Præses in Peruuiam mittitur 201. a. Theonymæ ab Mexia recipitur 201. b. Panamaidem venit 202.b. Tumbæum appellit 228. b. Regium venit

nit 234.b. Panamaidem nauigat atque inde in Hiſpaniam 234.b.& 235.a.& b
Ptrus Hinoſa: vide Hinoſa.
Petrus Holuinus in Didacum bellum parat 107.a. ad Alphonſum Alueradum contendit 107.b. ſtratagema eius aduerſus Almagrum inſequentē 108. a. mors in Vamantiaci prælio 116.a
Petrus Lerma 83.b. odium eius in Alphonſum Aluaradum & eundem prodit 85.a
Petrus Pulletius ad Conſaluum deficit 133.a. Quitone confoditur 223.a
Petri Valdiuiæ ab Chiliacis reditus 229.b
Petrus Vendanius in Caruiialem conſpirat 189. b
Petrus Vllôa in cauernam detruſus 213.a
Philippillus Hiſpanorum interpres cauſſa mortis Atabalibæ 65.a.ad Aluaradum fugit 73.b.quadripartitur 80.a
Philippus Gutirius ab Conſaluo interfectus 138.a
Polus antarcticus & ſigna eius 24.a
Portus Vetus vrbs 20.b
Potoſium 33.a
Principes qui primū ab Conſaluo ſeceſſerunt 135.a
Pugna ad Caſſamalcam 56. b. ad Cuſconem 91. b. ad Vamantiacum 116 a. in Vilcacinis 67. a. pugnam imminentem intercurrentes ſacrati impediunt 181.b. pugna ad Theonymam 185 b. ad Poconem in caſtris oppugnandis 190. a. & b. ad Quitonem 195. a. inter Centenum & Conſaluum 227. a. ad Saquiſſauanam in qua captus eſt Conſaluus 231.b
Pulleciani Vadaciliam irrumpunt 134.b
Puna inſula 42.a

Q

QVabimilla Amazonum regina 24.b
Quinquaginta ab Centeno capti 172.a
Quiſquis ordo in proficiſcendo 75. b. fugit Pizarrum 66.b. ab ſuis confoditur 77.b

Quito vrbs 30.b

R

Regiũ vrbs & eius copiosa descriptio 21.b.& 22.a ibi archisenatus Peruuinus statuitur 121.b.tumultus inter Ephoros & Velam 142.b. tumultus ex Centeni victoria 172. b. trepidatio ob aduentum Aldanij 218.b

Rodorici Contrerij apud Cæsarem querela 235.a

Rodorici Nini constans in Velam fides 174.b

Rodorici Orgonij crudelitas 90.a.ferocitas & virtus & mors 91.b.& 92.a.& b

Ruminaxis fugit in Cassamalcano prælio 58.a. facto pius & sceleratus in vno 66.a.quid ad pellices dixerit 69.a.fuga eius, ibidem.

S

Smaragdi Peruuini 21.a

Sausa amnis 30.a

Sanchæi virtus & mors 196.a.& b

Sententia in Consaluum Pizarrum 233.b

Sexaginta milites gelu constricti 72.b

Suspicio & diffidentia Consalui erga Benitũ Caruaialem 213.b

T

TAngarana Prouincia vbi nunc Michaëlia vrbs 46.a

Terra Florida 10.a

Terræ motus admirabilis 96.b

Theonyma Isthmi vrbs ab diuino nomine dicta 10.b

Tiada Ephorus in Hispaniam destinatur 154. b.in Hispanico itinere moritur 157.b

Titicaca lacus admirabilis 31.b

Torus ciuitatem Cusconicam aduersus Cētenum incitat 170.a. in Centenum 171. a. Caruaiali insidias struit 177. b.confossus est Cuscone in iurgio 205.a

Transfugia Consaluianorum 217.a

Tumibamba vrbs 39.a

Turba in Consalui exercitu 135.a

V

VAcianus Caster ad cognitionẽ de Almagri morte habendã in Prouinciam mittitur 101. a. prouinciæ præturã assumit 108.b. ad exercitũ accedit, & cura eius ad bellũ in iuniorem Almagrum parandum 109.b. Vamantiacum contendit 112. a. sententiam in iuniorem Almagrum stringit. 113.a. generali præfectura se abdicat 123.b

Vacianorum in venientem Proregem murmura 123.a

Vacianus Cæster comprehensus in publicum carcerem truditur 124. precibus ciuitatis liberatur, ibid. b. secundò ab Vela captus 129.a. fugit 155.a. Vlysiponem in Hispaniam venit, & euentus eiusdem 157.b

Vamantiacum vrbs 3.a

Vanuco vrbs 30.b

Vela Peruuiæ Prorex dicitur 122.a. Tumbæum venit 122.b. amarulenta responsio ad Prouinciæ Legatos ibid. ingenium 123. a. eius in Antonium Solartem ira 125. a. ad bellum se parat 128. b. sollicitudo eius 138.b. in illum omnium odium ob Ilani cædem 140.a profugere Regio statuit 140. b. Ephoros contemnit & irridet 143.a. ab suis deseritur 144.a. capitur, ibid. restituitur libertati & imperio ab Aluaro 149.a. Tũbæum venit 153.b. Quitonẽ fugit 156.a. Michaëliam Quitone venit 158.b. Consaluianos Duces Villegam & Diam opprimit 160. a. fugit Consaluũ 161.b. Popæanã fugit 162.a. Popæanã egreditur & Quitonem iterum tendit 192.b. Quitonem venit 194.b. diligentia & audacia 195. a. ex equo deijcitur, & capite obtruncatur 196.a.& b

Vrbes Peruuiæ maritimæ 20.b

Vultures in littore Peruuino 25.a.

FINIS.

Θεὸς τὸ δέος.

ERRATA ANTE LECTIONEM RESTITUENDA.

Folio 10. facie 2. linea 9. lege connititur.
15. 1. 18. obtinuisset.
15. 1. 21. interque.
16. 1. 24. retracta.
20. 2. 13. quicquid. debet deleri.
23. 2. 25. aqua madescit.
24. 1. 23. ad
24. 2. 3. amplas.
25. 1. 8. sedentem.
26. 1. 11. enectarum.
26. 2. 16. grauatę.
27. 1. 22. lardum.
29. 1. 10. lege sic, qui securiores ad quietę ac tutiorę negotiationę sedes potiùs obtinere quærunt, quã obnoxijs periculo quotidiano locis hærere, &c.
33. 2. 19. Peruuia.
36. 1. 3. Thomam.
38. 2. 3. legatum.
39. 1. 18. re percepta.
40. 1. 24. audentem.
40. 2. 16. Arabahibiani.
41. 1. 6. indicem.
42. 1. 18. dulcis.
45. 1. 14. equorumque.
45. 1. 25. inuiolandæ.
46. 2. 6. iniuria.
48. 2. 1 ab.
48. 2. 15 lacessere.
51. 2. 8. pristinę. in eadem linea, virtuti.
60. 1. 17. narratisque.
62. 1. 21. iniqua.
65. 1. 11. tum.
66. 1. 8. custodias.
67. 1. 6. subsidio.
70. 1. 20. aduentu.
86. 2. 18. delectus.
89. 2. 25. proficiscerętur.
90. 1. 12. munitioni. in sequente linea, halitu
92. 1. 8. diffregêre.
94 1. 21. apparabant.
102. 2. 12. & ad illã. in eadem linea, ad, deleatur.
104. 19. perfecturi.
107. 1. 6. imperij.
107. 2. 11 excesit.
118. 2. 7. immiscuissent.
126. 1. 8. spirituum.
131. 1. 24 quidem.
138 1. 22. supplicij.
144. 1. 11. diripere.
164. 1. 23. miserrimum.
168. 1. 23. Rhegij.

ANTVERPIAE,
TYPIS AMATI TA-
VERNERII.


BIBLIOTEKA

Ottomanorum domus .i. princi
pum Turciæ duratura est ad
tredecim aut quindecim gene:
rationes. sive (ut verbis vatum
utar) ramos Nempe ad an
num domini 1512 vel 1515

Nisi principes christiani cessave
rint a discordijs et mutuis bel
lis Quintadecima generatio
Turcarum veniet et devastabit
Pollonia, Misnia Torrigiam
prutheniam et intrabit in Picar:
diam, Brabantiam, flandriam
et occidetur iuxta aureum pomum
.i. Coloniam Agrippinam. ab
Hispanis.
Preterea dicitur quod Rex franciæ

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
14009
14012

